[illegible] Cornelio XLV. [illegible] falsa
[illegible] ea qua [illegible] Niceron.
[illegible] T. XI. p. 392

[illegible]ny. 23. ex Fabri Stadt u. Land Geogr. T. I. p. 180 starb Vitus der Morlachen
Marc Ant. de Dominis aus Dalmat. war der erste, der die Ur-
sachen des Regenbogens erklärte, und ein
berühmter Philosoph. Gewisse Gelehrte schämten sich
nicht, sich seine Erfindung zuzueignen. Es ist um so
merkwürdig, daß ihn die Venezianer in jenen
barbarischen Zeiten für einen Zauberer ge-
halten haben. Nur ein großer Haufen Ehren-
titel und Unbeständigkeit vermochten nicht ihn
zu verfolgen; und da sie einige Ketzereien ihm
nicht beweisen konnten, so schrieen sie ihn als
einen Ketzer aus. Diese Beschuldigung soll eigent-
lich den Grund gelegt haben,
so viel Feindliches gegen die heilige Religion
zu schreiben. Da er unter andern auch geäu-
ßert hatte, daß die Bischöfe eben so
viel Rechte, als die Päbste haben sollten,
so wurde er nach Rom citirt und zur Strafe
für seine Ketzereien verbrannt. cf. Debure
[illegible] 20.

Rijbold. 1760.

de Satyriis infeliciter agit Meermeister, 71. 40

Gen... Academ. p. 89. seqq.

D. S. Bibl. H. 105

vendu 8 # 12 s chez M. le Marié.

M. IO. CHRISTIANI
KLOTZII

PAST. PRIM. ET SVPERINT.
DIOEC. BISCHOFFSWERD.

DE LIBRIS AVCTORIBVS SVIS FATALIBVS

LIBER SINGVLARIS

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIA
A. MDCCLXVIII.

VIRIS
PRAENOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS,
IVRISCONSVLTISSIMIS,

IACOBO EHRENFRIED LEHMANNO

ET

ALBERTO GOTTLOB LEHMANNO

POTENTISSIMI POLONIARVM
REGIS ET SERENISSIMI PRINCIPIS
ELECTORIS SAXONIAE
SECRETARIIS INTIMIS

FAVTORIBVS ATQVE AMICIS
MAXIMOPERE COLENDIS

S. P. D.

M. IO. CHRISTIANVS KLOTZIVS.

Dudum VOBIS, VIRI PRAENOBILISSIMI ET IVRISCONSVLTISSIMI, *testimonium aliquod mei erga* VOS *animi atque studii debui, cum ob grauissima munera, quibus summa cum fide ita praefuistis et alias semper et hac praesertim communi calamitate, vt cuiuis bono* VESTRA *integritas probetur, tum ob multa* VESTRA *in hanc vrbem, patriam* VESTRAM *merita, atque etiam ob insignem* VESTRAM *erga me meosque beneuolentiam, multis et praeclaris documentis demonstratum. Sit igitur hic libellus certissimum pignus mei* VOBIS *deditissimi animi, atque perpetui cultus, quem* VE-

 STRIS

STRIS virtutibus VESTRAE-que eruditioni habui et habebo, testimonium. Quia etiam nuper in tristissimo Draesdae excidio bibliotheca VESTRA multis iisque rarissimis cum typis expressis tum calamis praesertim exaratis libris instructa flammis consumta est, hae chartae vt nouae atque (licet hoc vix fieri possit) praestantioris primordia sint, opto. Seruet VOS Deus Opt. Max. ad emolumentum patriae quam diutissime saluos, sospites mihique beneuolos. Valete, VIRI PRAENOBILISSIMI, meque, vt facitis, in posterum quoque amate. Scripsi. Bischoffswerdae, a. C. cIↃIↃccLXI. die vestro natali, d. XII. Octobr.

PRAE-

PRAEFATIO.

Iam olim, hortatu praeceptoris nostri, *Io. Guilielmi Bergeri*, viri limatissimo iudicio, praestantissimo ingenio et animo modestiae, probitatis honestatisque studiosissimo praediti, in Academia Vitebergensi libellum *de libris auctoribus suis fatalibus* scripsimus.*) Quem, cum iam tum et emendari et augeri multis in locis posse videremus, (nam et temporis angustia et bonorum librorum inopia premebamur,) denuo illum sub

 incu-

*) Fuit disputatio a. 1728. quo tempore inter ordinis Philosophorum assessores recipiebar, habita, respondente V. Cl. *Grabergio*, iam Doctore Medicinae Longosalissensi experientissimo, et laudata a b. D. *Buddeo*, in Isagog. Supplem. p. 48. atque celeberr. D. *Am-Ende*, in Memor. Inspect. Portens. p. 27. quibus addi potest Cl. *Juglerus* in bibliotheca Literaria Struuii.

incudem reuocandi, accuratius et diligentius examinandi edendique consilium cepimus. Quare, si quando nobis otium fuit concessum et liberum tempus vacuumque negotiis publicis, relaxauimus animum, ad mansuetiores nos Musas reuocauimus atque in hoc libro nostram collocauimus operam et studium. Fuit vero non solum ipsa res valde iucunda et ad delectationem animi apta, sed omnis illa iucunditas mirifice eo aucta, quod scribenti mihi semper imago *Bergeri* obuersata est, quo, si a *Wernsdorffio* et *Menckenio* discesserim, nullus alius est, quem vel magis amem et colam vel cui plura debeam.

Prodit igitur hic libellus atque ita quidem prodit, vt plane nouus censeri debeat: quod cuiuis hunc cum illo comparanti facile apparebit. Neque enim tantum plurimis illum exemplis auximus sed diligenter quoque laudauimus auctores, qui

de

❧ ✤ ❧

de vitiis virorum doctorum copiosius exponant. Etsi autem plerumque his plures in medium producere potuissemus, noluimus tamen modum excedere, vt in omnibus rebus, sic etiam in hac re vtilem et iucundum. Fatemur etiam, nos neque ex ordine temporis strictius seruato, (quod non necessarium in ejusmodi libris esse duximus,) libros commemorasse, sed vt cuiusque nobis in mentem venerit recordatio, neque hoc volumine omnes, qui molestias sibi et calamitates libris suis parauerint, complecti voluisse. Minime enim ignoramus, *A. Caecinam* libro, quem Suetonius (in Caes. c. 75.) *crimminosissimum* vocat, grauiter Caesaris animum offendisse: (v. Cic. ad Diu. L. VI. ep. 5. et 7.) *Cremutium Crodum* ob editos libros laudesque in eis Bruto et Cassio tributas accusatum: (v. Tacit. Annal. L. IV. c. 34.) *Fabricium Veientonem* a Nerone ob libros in patres et sacerdotes cotumeliose scri-

 ptos

ptos et codicillorum nomine insigni-
tos (v. ibid. L. XIV. c. 50.) et *Oui-
dium* ab Augusto ob libros, vt non
pauci arbitrantur, de arte amandi,
exilio punitos esse. Sed de his et
compluribus alio tempore, si Deus
vitam et vires concesserit, expone-
mus. Iam exhibemus Centuriam.

Erit vero praecipuus nostri libri
vsus hic, vt sapere discant homines,
caute circumspecteque in scribendis
libris versentur, neminem lacessant,
bonis viris parcant et in salibus atque
iocis spargendis maximopere omnem
inuidiam euitare studeant. Quid
enim? nonne plurimi, quorum in
hoc libro mentionem fecimus, si a
scribendis Satyris abstinuissent, bene
et tranquille potuissent viuere? Sicut
igitur suaue est, vt ait poeta, horri-
dam maris tempestatem et iactatas
fluctibus naues procul e terra videre,
non quod aliorum calamitates nos
delectant, sed quod tali modo no-
stram felicitatem magis sentimus, sic
non

non iniucundum erit bonis et doctis viris sine proprio periculo aliena mala intueri et scopulos, ad quos plurimos afflictos videant, euitare. Deinde etiam hinc intelligetur, quam verum sit illud comici: *Veritas odium parit*. Exposuimus enim de multis, quibus nihil aliud. quam strenuum et indefessum veritatis studium et forti animo suscepta veri rectique defensio molestias exhibuit. Atque hi eo maiorem laudem merentur, quo meliora eorum fuerunt consilia et quo laudabilior est amor veritatis. Sunt denique alii, qui neque veritatis studiosi, neque cupiditate alios perstringendi adducti, sed nouarum opinionum amore abrepti, libros sibi fatales ediderunt. Horum in numerum ii praesertim referendi sunt, qui in doctrina Christiana sua somnia promulgare, quam diuinarum litterarum et bonorum Theologorum auctoritatem sequi maluerunt.

Caete-

Caeterum, si quid humani passi sumus, cupimus admoneri. Nam et aliorum dissensum ferre didicimus, et in eo bene ferendo magnam sapientiae et humanitatis partem positam esse existimamus. Bene dicit in L. VIII. epist. XV. *Angelus Politianus*, licet non semper sui promissi memor: *Testatum hoc omnibus volo, nihil mihi esse prius veri studio et recti. Si sponte hoc assequor, bene habet: sin minns, ab aliis et placide admoneri gaudeo et aspere castigari non recuso. Quin vt illis habeo gratiam sic istis non irascor: honestius ducens aliquando doceri, quam semper nescire: nec enim tam turpe refelli, quam pulchrum corrigi.* Leuiores errores facile lector nobis, si aequus est, condonabit. Quid enim aequius, quam veniam dare seni eidemque tot negotiis districto, vt non, nisi raro, libere respirare possit? Haec tibi, Lector beneuole, ignota esse nolui. Vale.

I. Valde

I.

Valde ambigua eſt fama PETRI BAILII, quem non ſatis alii laudare, alii vituperare poſſe ſibi videntur.[a]) Nos, qui rem in medio relinquimus, nihil magis optamus, quam vt ingenium, quo a natura armatus fuit, praeſtantiſſimum amoeniſſimumque, ad doctrinae Chriſtianae veritatem confirmandam potius et defendendam, quam ad dubia ſemper proferenda et ingenii gloriolam, neſcio quam, aucupandam contuliſſet. Idem vero non ſemel ob libros a ſe conſcriptos iratioris fati acerbitatem expertus eſt. Cum enim a. 1693. rex Galliae, plurimum operae ſtudiique in pace et concordia firmanda poneret,

neret, omniaque ſua conſilia eo conferret; Guilielmus III. autem, rex Angliae, ſumma ope niteretur, vt conatus hos irritos redderet, *Petrus Iurieus*, *Bailio* infeſtiſſimus, hac occaſione vlciſcendi cupiditatem explendi arrepta, ſtatim apud aulae miniſtros *Bailium* accuſauit, quaſi edita *conſultatione de pace*, a Gallis ſubornatus, pacis negotium prouehere conaretur. Quare Guilielmus, re cognita, ſenatui Roterodamenſi, vt *Bailium* munere ſuo decedere iuberet, praecepit. Prodiit quoque a. 1690. Amſtelodami liber, hocce titulo inſignitus; *Avis important aux refugiés ſur leur prochain retour en France pour l'etrene à l' un d' eux.* Cuius libri licèt ſe nunquam autorem profeſſus ſit *Bailius*, *Iurieus* tamen, qui in illo librum a ſe hoc titulo euulgatum: *l' accompliſſement des propheties* etc. perſtrictum eſſe intellexit, inde occaſionem *Bailium* variis criminibus onerandi nactus eſt. Quibus vt ſe purgaret, ſui defenſionem ſuſcepit, eamque a. 1691. hoc titulo edendam curauit; *la Cabale Chimerique, ou refutation d' hiſtoire fabuleuſe et des calomnies, que Mr. Jurieu*

Jurieu vient de publier malicieusement touchant un certain projet de paix, et touchant le libelle intitulé, Avis important aux refugiés. Nihilominus tamen ſe hunc ob librum munere exemtum eſſe, ipſe queritur *Bailius* in epiſtola ad Minutolium, profeſſorem Geneuenſem ſcripta. (v. lettres Choiſies p. 456.) Neque in commemorandis libris Bailio fatalibus praetereunda eſt epiſtola illa, quam de Cometis ſcripſit. Libellus vero ſic inſcriptus eſt: *Lettre à M. L. A. d. C. Docteur de Sorbonne, où il eſt prouvé par pluſieurs raiſons tirées de la philoſophie et de la theologie, que les cometes ne ſont point preſage d' aucun malheur, avec pluſieurs reflexions morales et politiques, et pluſieurs obſervations hiſtoriques et la refutation de quelques erreurs populaires.* Libellum hunc, manu exaratum, *Bailius* amico cuidam perlegendum tradiderat, qui deinde illum, *Bailio* plane inſcio, typis exſcribi curauit. Quod cum omnem praeter ſpem opinionemque *Bailii* accidiſſet, ille hunc libellum paulo auctiorem, et diligenter examinatum edidit. In quo vero quoniam errores plebeculae, Cometas neſcio

ſcio quid mali praeſagire, multo lepore perſtrinxerat. *Jurieus* et ſocii eum apud Senatum Atheiſmi accuſant. . . . Age vero ipſum *Bailium* audiamus: *Cette lettre vous apprendra, que nos magiſtrats m'ont oté ma charge de profeſſeur avec la penſion de cinq cens florins, qui y etoit annexée. Ils ont même revoqué la permiſſion, qu'on m'avoit donné d'enſeigner en particulier. Ils reſolurent cela à la pluralité des voix le 30. Octobre paſſé . . . Tout ce qu'il y a ici de plus raiſonnable crie contre cette injuſtice, et une partie de nos Conſeillers, les plus anciens dans la charge et les plus habiles s'opposerent de toute leur force à cette reſolution, mais il furent inferieurs en nombre . . . . Fondement eſt mon livre des penſées diverſes ſur les cometes, que les miniſtres Flamans ont fait accroire aux Burgemaitres contenir des choſes dangereuſes et antichretiennes.* v. lettr. choiſ. p. 456. Fatalis denique fuit *Bailio commentarius philoſophicus in verba Chriſti, Compelle intrare* etc. a. 1714. iterata vice typis impreſſus. (v. *Journ. litter.* T. II. p. 241. et *Act. Erudit. Lipſ.* 1714. p. 55.) In quo quidem pontificiorum tyrannidem

nidem iure castigauit, qui animis imperare, aliosque vi et armis ad sacra sua adigere cupiant, sed non leuiter in eo peccauit, quod omnium religionum tolerantiam, libertatemque sentiendi noxiam defendere conatus est. Quare non solum a *Gabriele Naudaeo*, qui copiosam illius refutationem adornauit, (v. *Act. Erudit. a. 1719. p. 414.*) sed a *Iurieo* etiam delatus in extremum fortunarum periculum apud Belgas est adductus.

*) Ecce tibi aliquot doctorum hominum iudicia. Audiamus primum Cel. D. *Pfaffium*, in dissert. Tubingae, a. 1719. contra *Bailium* habita, p. 4. *Genuina religionis indole, omnique diuino lumine insuper habito, solis rationis tenebris inhiauit, atque in id omnes ingenii neruos intendit, vt certissima quaeque adgrediendo in inueniendis difficultatibus ingenii sui praestantiam ostenderet.* Audiamus *Buddeum* in *Thes. de Atheismo et superstitione* p. 156. *Talia subinde docuit, quae in Atheismi prauaeque de Deo et religione existimationis suspicionem eum inducere potuerunt.* Iudice *Dornio* in *Bibl. Theol. Critic.* P. I. p. 484. *scepticus fuit, et omnes religiones in contemtum duxit.* *Clerico* denique Bailius *Atheus* et *Socinianus* esse videtur: v. *Vnschuld. Nachr. a. 1706. p. 185.* Eundem *Crenius humanum et praestantissimae ciuitatis* virum vocat, et in *Act. Erud. Lips. vir πολυμαθέστατος et celeberrimus Belgii Varro*, in *Nou. litterar.* a. 1709. *vir magnorum*

in

in rem litterariam meritorum audit; audit *idem acutissimus et per orbem litterarium celeberrimus vir, cuius libros doctrinae et elegantiae planos Regina Sueciae Christina libenter legit, cuiusque sententiam per litteras saepissime rogauit*, im *Neuen Büchers.* P. XVIII. p. 379. Cui vero non hi versus noti?

Bailius hic ille est, cuius dum scripta vigebunt,
Lis erit, oblectent erudiantne magis?

Si quis plura iudicia scire cupiat, euoluat *Journ. Litter.* T. I. p. 219. T. II. p. 154. T. VI. p. 227. T. X. p. 80. vbi *Saurini*, viri disertissimi iudicium adfertur; Cel. *Heuman. Act. philos.* P. IV. p. 603. *Act. Erudit.* a. 1716. p. 72. *Büchersaal*, P. II. p. 379. *Vnschuld. Nachr.* a. 1713. p. 950. Et quis omnes laudare possit, qui de Bailio scripserunt? Vnum adscribamus iudicium *Io. Guil. Bergeri*, quod ex ore viri optimi audiuimus. Hic enim sic dicere solebat: *Bailius* est scriptor satyricus, et superbi interdum ingenii: id enim agit in Lexico suo Critico, vt semper, quid contra dici possit, moneat. Vult esse eclecticus: Pyrrhonicus est, et paradoxi ingenii: iudicio suo solum nitebatur.

II.

FRANCISCVS DE SALIGNAC FENELON, Archiepiscopus Cameracensis, libris suis immortalem famam consecutus est. Inclaruit primum libello: *Explication des Maximes de Saints sur la vie interieure*:

rieure: a. 1697. edito. Qui in ecclesia Romana multas contentiones excitauit, et a Pontifice damnatus proscriptusque est. Innocentius enim XII. a. 1699. XXIII. propositiones vt *temerarias*, *scandalosas*, *male sonantes*, *piarum aurium offensiuas*, *in praxi perniciosas*, *et erroneas damnauit.* [a]) Quae res eo tandem peruenit, vt *Fenelonius* has propositiones reuocaret, atque his verbis vteretur. *Ego isti papali Breui totus adhaereo, tum quoad textum libri, tum quoad XXIII. propositiones, idque sine vmbra alicuius restrictionis simpliciter et absolute, atque ita damno tam librum, quam propositiones.* Verum *Fenelonium* haec non ex animi sententia, sed metu, minis, et precibus adductum, dixisse monet *Feustkinus de palinodia sacra, p.28.* Edidit deinde librum: *Auantures de Telemaque Fils d' Ulysse*, quem, quicunque pulchri et venusti sensu aliquo imbutus est, non sine summa voluptate animi perleget. Est enim elegantissimis verbis et grauissimis sententiis conscriptus, et ad veterum auctorum praestantiam quam proxime accedit. [b]) Iam antea vero famosae

 Foemi-

Foeminae *de Maintenon* odium in se concitauerat, quam cum rex pro legitima coniuge declarare vellet, *Fenelonii* suasu et hortatu sententiam mutauit. Haec, cum liber modo laudatus in lucem prodiisset, regi, qua erat auctoritate, facile persuasit, *Fenelonium* in hoc libro aulae ministros perstrinxisse, neque ipsi regi pepercisse. Quo facto *Fenelonium* aula discedere rex iussit, quem casum ille fortiter tulit et magno animo. [c])

[a]) Vid. *Iaegeri Examen theol. myst.* p. 267. et Bulla papalis, inserta *Actis Erudit.* a. 1699. p. 148. et *Relationibus Innocentibus*. 1709. p. 515. 1701. p. 61. item, *Aufgefangene Briefe* T. I. p. 835. et 340.

[b]) De hoc libro praestantissimo vid. *Relation. Innocent.* a. 1701. p. 319. *Biblioth. Angloise*, T. I. p. 71. *Journ. litteraire*, T. IX. p. 177. *Acta Erudit.* Germanico sermone scripta, T. V. p. 296. *Journal des Sçav.* a. 1717. P. II. p. 70. Prodiit contra hunc librum a. 1700. *Critique generale*, cuius auctor, ex opinione Bailii, (*lettres choif.* p. 749.) *Msr. Guedeville* fuit. Quo tantum abest vt libro aliquid detractum sit, vt potius in Teutonicam, Belgicam, Anglicam, Hispanicam, Italicam linguam sit translatus vehementerque ab omnibus elegantiae studiosis lectus et in deliciis habitus. Vellem, permitteret instituti ratio, copiosiores in laudibus huius libri vt esse possemus. Saltem adscribemus

mus elogium ex libro *le Mentor moderne* T. II. p. 16. *Ses ouvrages sont pleines des la plus noble pieté, de la vertu la plus sublime, et de la plus fervente charité pour son procbain. Son genie et ses talens doivent etre considerez comme un bien commun* etc.

c) Plura vid. in *Neuen Zeitung. von gelehrt. Sachen*, a. 1715. p. 34. *Histoire de la vie de Msr. Fr.* de Salignac de la Motte Fenelon, *Haag.* 1723. 12. *The life of* Franc. Fenelon, *London* 1723. 12.

III.

GALILAVS a GALILAEIS, vir magno ingenii acumine praeditus, edidit dialogos de Systemate mundi, (*dialogo delle due massime Systeme del mondo, Tolemaico, et Copernicano*) inopinatam ipsi qui tempestatem excitauerunt. Nam, quoniam in hoc libro Copernici de motu terrae circa solem sententiam defendit, vehementer in ipsum Vrbanus VIII. Pontifex Romanus, exarsit, atque, vt quae paullo ante docuisset, palam negaret, postulauit. Quod cum facere nollet *Galilaeus*, in carcerem coniectus est ea lege, vt singulis septimanis per tres annos semel carmina Dauidis, quae poenitentialia appellamus, recitaret. In quo carce-

 re

re poſtquam quinque annos commoratus eſt, ſitum ſqualoremque ferre diutius non potuit, libertatis vero maximo deſiderio aeſtuauit. Cuius recuperandae eam iniit viam, quae ſola relicta erat. Annos enim LX. natus ſe erraſſe et mentitum eſſe profeſſus eſt. Libri *Galilaei* a. C. 1720. nitidiſſime Florentiae editi ſunt, quibus *Guido Grandus* elegantem et doctam praefationem addidit. Iidem tamen dialogi, quorum mentionem fecimus, in hac editione deſiderantur. Quod iuſſu pontificis accidiſſe facile intelligimus. E vita deceſſit LXXVIII. annos natus *Galilaeus*, quem Morhofius *virum ſummi ingenii et iudicii* appellat.[a])

[a]) v. *Polyh.* T. II. L. II. P. II. p. 392. elogium Galilaei dabit Nic. Erythr. *Pinac. vir. illuſtr.* p. 280. vitam vero exhibent *Faſti Conſolari dell' Academia Florentia da Salvino Salvini*, Florent. 1717. Quanta nominis fama floruerit *Galilaeus*, ex eo poteſt intelligi, quoniam viri et nobilitate et eruditione praeſtantiſſimi quique ad eum videndum iter fecerint, vt *Vicentius Viuiani*, nomini ſuo qui ſemper adſcripſit, *diſcipulus Galilaei*, quod in vita eius commemoratur, quam Cel. *Heumannus* in *Act. Philoſ.* T. III. p. 482. exhibet.

IV.

IV.

MARCVS ANTONIVS DE DOMINIS vir fuit multae doctrinae, sed animi valde inconstantis. Etenim a. 1616. per Heluetiam et Germaniam superiorem in Angliam profectus a Catholicorum ad Caluinistarum partes transiit. Cuius consilii rationes in praefatione libri, *de Republica ecclesiastica* commemorat. Quo libro edito ab inquisitionis iudicio citatur, et, cum non veniret, haereseos damnatus est. a) Eundem et *Laurentius Beyerlinck*, a. 1617. refutare voluit, et *Mayerus Syncretismi pandectas* appellat. b) In Anglia per sex annos commoratus est, et Iacobo, regi, apud quem maxima gratia floruit, et quotannis MMMMMM thaleros accepit, aliisque nescio qua re se exosum reddidit. Deinde a Gregorio XV. pontifice, cuius olim in Italia contubernio vsus fuit, commonefactus, precibusque fatigatus Romam redire voluit. Quod etsi *Iosephus Hall*, c d) vir bonus et doctus, ei vehementer dissuasit, tamen a. 1622. clam Britannia relicta Romam petiit. Quo cum venisset, in aedibus Petri supplex

laqueumque in collo gerens palinodiam [e]) cecinit, atque ſic ſalutem accepit. Cum vero paullo poſt iterum mutationem religionis meditaretur, aut, vt alii dicunt, quae ſcripſerat, retractare nollet, ab Vrbano VIII. in carcerem coniectus, [f]) et in eo morbo, aut vt alii dicunt, veneno exſtinctus eſt. Corpus *Marci* a. 1624. vna cum imagine et libris rogo impoſitum, cinis vero in Tyberim ſparſus eſt. [g])

[a]) De hoc viro *Becanus* ita iudicat: „*Marcum* neque Catholicum, neque Lutheranum, neque „Caluiniſtam eſſe, ſed ab omnibus diſſentire, et „nouum doctrinae ſymbolum partim ex aliorum ſcriptis, partim ex ſuo cerebro conſarcinaſſe.„

[b]) „Habuit Marcus ſupellectilem librorum maxime inſtructam, in quibus multi erant, a Theologis Proteſtantibus ſcripti. Ex his ſapere „coepit, et pontificiorum errores intelligere. „Ex his etiam eruditionem hauſit, quam in libris de Republ. eccleſiaſtica inuenimus et admiramur. Ex ſcriptura inquit Pontificis auctoritatem facile infringi poſſe, neque ex antiquitatibus illam aliquid roboris accipere, Epiſcopos antiquae eccleſiae primatum quidem „temporis et ordinis habuiſſe, minime vero aut „omnibus epiſcopis, aut exteris regionibus imperaſſe.„

[c]) *Ioſe-*

c) *Iosephus Hall*, Theologus Anglicanus, vir multis egregiis libris, tribus tomis editis, clarissimus, *Romam irreconciliabilem* scripsit, quam *I. Fr. Mayerus* examinauit, et indice eorum, qui *Romam reconciliabilem* existimauerunt, ornauit. Ex iudicio *Moshemii* ingenio non mediocri valuit, cui interdum plus, quam satis est, tribuit. v. *Budd. Lexic. Vniu. histor.* P. II. p. 7.

d) Epistolae, in qua *Hallius Marcum* dehortatus est, multi mentionem faciunt, eamque *Mayerus* in libro modo laudato exhibet. In qua praeter alia haec sunt. „Dic mihi per Deum „immortalem, magne praesul, quid tandem est, „quod te nobis post aliquot annorum moram „iam de subito abripere Romamque pellîcere „potuit? Numquid inhospita tibi visa est gens „nostra? minusne quam forte speraras virtutibus „tuis indultum? Causari illud profecto nón po-„tes, in quem larga benignissimi Regis manus „tam ampla, tam opima congessit vltro mu-„nera „ etc,

e) De Palinodia Eruditorum *Ioh. Schmidius* Lips. 1697. disputat. habuit, de palinodia sacra seu retractationibus Theologorum in rebus fidei, *Feustking* Viteb. a. 1711. libellum scripsit. De veterum emendandi retractandique studio *Ioh. Schulzius in flor. sparsion. egit* p. 6.

f) Alii hoc ob litteras ad Iacobum, regem, atque liberiores de Concilio Tridentino, et concordia cum Protestantibus ineunda sermones accidisse scribunt.

g) De hoc Marco cf. *Grammondus* L. III. hist. p. 196. *Abraham. Bzouius* in *Annalib.* ad a. 1629.

§. 12. *Limborch. histor. Inquis.* L. IV. c. 38. p. 361. *Kestner de relig. prudent.* p. 39. *Czwittinger. spec. Hung. litterat.* p. 121. *Vigneul de Marville,* p. 279. et *Mayerus* in libro laudato.
Clarmund T. 8. p. 108.

V.

SOTADES MARONITA, a Sotade Atheniensi, a Suida laudato, probe distinguendus, a quibusdam etiam Cinaedus dictus, lasciuia carmina scripsit. Nam Strabone et Suida teste non solum libidinem Sodomiticam iambicis versibus laudauit, sed etiam Ptolomaei Philadelphi cum sorore nuptias liberiori carmine perstrinxit. Quare, cum regem aduersus se vehementer exacerbasset, fuga salutem quaerere, et se Alexandriam conferre voluit. Verum a Patroclo, ipsi in via obuiam facto arreptus, cistae plumbeae inclusus, et in mare demersus est. [a])

[a]) Athenae. L. XIV. p. 620. et Fabric. Biblioth. Gr. L. II. c. 22. p. 789.

Venit hic nobis in mentem *Iohannis Casae*, Episcopi Beneuentani, cui a multis carmen de laudibus Sodomiae tribuitur. Sed vt, neminem adhuc hoc carmen oculis vidisse, taceamus, praeclare ab hoc crimine defendunt Casam, *Aeg. Menagius*, *Nic. Hier. Gundlingius* in *Obseru.*

Obseru. Halens. T. I. p. 120. *Tenzelius in colloqu. menstr.* 1694. p. 299. quibus addantur et Gallica acta eruditorum, (*Journal des Sçav.* 1707. mens. Iun. p. 690.) et *Horatius Oricellarius*; qui illi maximam in omni virtutum genere excellentiam tribuit. v. *Amadei de Benignis var. intr. Ital. inscript.* p. 146. Quare etiam cautius pronunciare debebat nuper *Prosper Marchand* in *Dictionario Historico* Art. XXVIII.

VI.

De ZOILO etsi non ignoramus, varias esse doctorum hominum, easque inter se valde contrarias opiniones, nos tamen eos sequamur, qui *Zoilum* suis libris maximam sibi perniciem attulisse, arbitrantur. Constat vero, hunc *Zoilum* maxima acerbitate aurea Homeri carmina perstrinxisse, risisse, contempsisse, et quae contra Iliada et Odysseam scripserit, Ptolomaeo Philadelpho recitasse. Quo factum est, vt et *Zoilus* ὁμηρομάστιξ et, quicunque in alios inueherentur, *Zoili* appellarentur. Etsi vero nos Homeri carmina, (quorum tamen praestantiae nihil hoc iudicio detractum cupimus, et quae vere aurea, et tam ad vtilitatem vitae, antiquita-

quitatisque cognitionem, quam ad voluptatem animi maxime accommodata, esse arbitramur) non, ita ab omni parte perfecta existimamus, nihil vt contra illa proferri possit, nemini tamen, quid praeoccupatae quaedam opiniones, si semel animis infixae, efficere possint, ignotum erit. Ptolomaeus igitur tantum abfuit, vt praemium *Zoilo* solueret, vt illum et in summa inopia omnique auxilio destitutum viuere pateretur, et, parricidii reum, vltimo supplicio afficeret. Quale vero supplicium perpessus fuerit, non vna est eademque opinio. Alii eum cruci affixum, alii lapidibus obrutum, quidam Smyrnae viuum in ignem coniectum esse scribunt. In hoc tamen omnes vno ore consentiunt, qui non plane totam rem efficiam esse censent, *Zoilum* propter satyricos in Homerum et alios libros violenta morte periisse. *)

*) Ne in laudandis locis nimii simus, ablegabimus lectores ad *Vossium*, L. I. c. XV. *de historic. Graec.* *Fabric* Biblioth. Gr. L. II. c. VII. p. 367. et *Humphr. Prideaux*, in Connex. Vet. et Nou. T. P. II. p. m. 97. vbi cum veterum tum recentiorum de *Zoilo* opiniones et iudicia allata sunt.

sunt. cf. *Lud. Küsteri historiam criticam* Homeri, et interpp. Aeliani.

VII.

PETRVS CVNAEVS, insignis Iurisconsultus, et *elegantioris litteraturae promus*, vt ait *Deylingius*, Theologus primarius, in *obseru. S. P. II. p. 56.* suis libris saepius sibi magnas molestias creauit. Ipse in Epist. XXVIII. a *Burmanno* edita, commemorat, se a legatis Synodi fuisse appellatum ob libros, maxime ob Satyram, quam, eleganti et venusto stilo conscriptam, *Sardi Venales* inscripsit; se vero, vt vnus eorum per litteras, quae Theologis minus probarentur, declararet, postulasse, atque, se esse responsurum, vtramque epistolam editurum, promisisse. Hic grauiter de *Daniele Heinsio* queritur, *Cunaeo* in hoc negotio maxime aduersario. Addit idem epistolam a *Balthasare Lydio*, Deputato Synodi Australis Hollandiae scriptam, in qua errores, in *Cunaei* libris obuii, non sine acerbitate enumerantur. Quibus omnibus *Cunaeus* modeste et eleganter respondet, pleraque quidem defendit,

die, quaedam ex arbitrio Theologorum emendat, omnia vero quae offendere quempiam possint, iterata editione se esse omissurum, pollicetur. In eadem Burmanniana editione inuenitur *Cunaei* oratio in obitum *Bonau. Vulcanii*, magnam quae ipsi inuidiam conflauit. Nam, quoniam in illa oratione nihil de Christo, nihil de pietate, aliisque ad doctrinam Christianam pertinentibus dixerat, palam in eum concionator quidam declamauit, et *Cunaeum* infernarum furiarum poenis dignum esse dixit. Contra quae, *Cunaeus* quae dixerit, vid. Epist. 78. et 65. [a])

[a]) De vita *Cunaei* vid. *Burmannus*, vir vere doctus, in notis ad editionem laudatam, *Adolph. Vorstius* in oratione in funere *Cunaei* recitata, et editione Cellarianae operum *Cunaeorum* subiecta, et *Iac. Basnagius* in praefat. ad *Cunaei Antiquitez Judaïques*.

VIII.

Quantum Musae Gallicae ANTONIO DANCHETO debeant, nemo, qui cum illis aliquid commercii habet, ignorabit. Nam et a prima aetate magno poeseos amore tenebatur, et, cum, admodum iuuenis,

totum

totum Horatium recitaret, triginta aureos nummos, (*Louis d'or*) a viro nobili, *Louvoeo*, accipiebat. Effecit deinde elegantia vitae atque ingenii, vt nobilis quaedam foemina *de Turgis* moriens illi totam per vitam certam pecuniam constitueret, liberorumque suorum curam hac lege committeret, ne ab illorum latere vnquam discederet. Sancte omnia pollicetur *Danchetus*. Illa vero placide expirauit. Iam *Danchetus* ingenium suum potissimum ad Tragoedias scribendas contulit. Edit *Hesionem*, a. 1700. opus, si ex praeconiis plurimorum iudicare licet de libris, praeclari ingenii. Quid multa? Aegre ferunt propinqui cognatique iuuenum, quorum moribus praeerat, hanc rem. Omnia, siue nimia superstitione, siue alia quacunque de causa, ad viuum resecant, atque *Danchetus* vt iurisiurandi fide interposita, nunquam se eiusmodi quidquam iterum esse scripturum, polliceatur, postulant. Negat *Danchetus*. acrius illi vrgent, pernegat. Quare non iuuenum tantum institutionem aliis committunt, sed pecuniam quoque constitutam soluere recusant propinqui. Quos *Danchetus*,

quem

quem non tam inopia pecuniae, quam causa, cur sibi illam eripi vidit, impulit, illos in ius vocat. Veniunt; cognoscunt iudices, et pecuniam illam *Dancheto* soluendam esse, iudicant. Vir fuit hic *Danchetus* valde acutus, in matrem pius, humanus, ab officii religione nulla in re declinans, nulli iniuriam intulit, sibi vero illatas libentissime oblitus est. [a])

[a]) Vita illius leg. in libro: *histoire de l'Academie des Inscriptions etc.* T. X. LXXV.

IX.

Quirinus Kuhlmannus, facile Fanaticorum princeps, totum prope orbem terrarum peragrauit, multosque in societatem erroris et insaniae adduxit. Quintam Monarchiam s. regnum Chiliasticum a. 1674. inchoari putauit, eoque processit dementiae, vt et se ex vxore sua, quam Mariam Anglicanam vocauit, filium esse susceptu-rum diceret, qui multis miraculis diuina virtute editis sanctam hanc, quam somniabat, monarchiam esset instauraturus, et a Deo in mundum, ad erigendum regnum chiliasti-

cum

eum se esse missum, doceret, atque etiam se pro Dei filii filio venditare non erubesceret.[a]) Quibus aliisque compluribus deliriis refertus est illius liber, *der neubegeisterte Boehme*,[b]) qui a. 1674. Lugd. Batau. prodiit. Paullo igitur post a principibus foederati Belgii exilio mulctatus, ex Academia Lugdunensi proscriptus, et cum infamia eiectus est. De quo videatur *Benthemius de scholis et ecclesiis Belgii*, P. II. p. 344. Sed non Belgium solum, sed omnem mundum, deliriis suis contaminare voluit. Quare ad Turcarum imperatorem abiit, a quo cum multis plagis affectus esset,[c]) a. 1689. ad Russos transiit. Vbi, cum nullum finem stultitiae facere vellet, relictaque priore coniuge in Anglia, aliam duxisset, Moscouiae anno 1689. viuus combustus est. Supplicium hoc Autor *des Moscovitischen Kirchenstaats*, quem librum Pritius a. 1698. praefatione ornauit, copiosius commemorat. Adiunxerat sibi socium, *Nordermannum*, *Kuhlmanni* simillimum. Qui in libello Christum esse rediturum in mundum, omnesque peccatores conuersurum, docuit. Quem

cum Patriarcha Russorum videret, *Nordermannum* vna cum *Kuhlmanno* igni adiudicabat. [d])

[a]) v. *Pfeiff. Anti-Chil.* Praef. p. 26. seq. vbi de *Stiefelio*, *Ezech. Methio*, et *Dau. Georgio* idem legimus.

[b]) De fanatico hoc libro leg. *Calouii* praefatio *Antibohemio* praemissa, qui a. 1692. Lipsiae tertia vice prodiit.

[c]) Nullam ignorare se linguam, etsi nullam didicerit, praedicauit. Cum vero coram Imperatore Turcarum a sermone Turcico, quem homo stultus sibi in mentem esse venturum, sperauit, destitueretur, tulit praemium stultitiae.

[d]) De hoc *Kuhlemanno* cf. Bailii diction. T. II. p. 1738. *Tenzelii colloqu. menstr.* 1698. p. 329. *Reinh. Dietr. Voigt de haereticis misera morte extinctis*, §. 47. p. 64. *Wernsdorf.* in dissert. de *fanaticis Silesior.* §. 21 - 30. *Colberg Platonisch-hermetisch. Christenthum*, P. I. p. 323. Furore poetico correptus idem *Kuhlmannus* edidit in ligata oratione: *Berlinische und Amsterdamische Kuhl-Iubel von Vereinig. des Luther- und Calvinthums.* Amsterd. 1688. Quem librum si quis legat, auctorem mente captum fuisse facile intelliget. Ad Electorem Saxoniae quae n. VII. dixerit, adscribemus.

„Befiel du Churfürst Ernst dem Spener ernste Sitten
„Deme mich Felinus, Breckling selbst sehr theuer einst empfohlen

„Lass

„Lafs ihn vortragen dir durch Gott ohn
Furcht und Schmincken
„Taulern, Ioris, Boehmen, Drabitz ftatt des
eitlen Sagen fchreibens.

Ioh. Fefchnerum, Rectorem Gymnafii Vratislauienfem, recte dixiffe: aut tu olim eris magnus Theologus, aut magnus haereticus: exitus fatis fuperque indicauit. v. *Ioach. Mantzelii* lib. *de praefagiis eruditor. de erudit.* §. 26. Titulos librorum, a Kuhlmanno editorum, licet non omnium, exhibet *Arnoldus* in *Haerefiolog.* P. III. c. 19. p. 193. Quod *Iac. Boehmio* in phialae ftanneae afpectu, id *Kuhlmanno* in Mufeo, charta, bene et varie colorata, ornato accidit. Nam cum hanc chartam folis radiis illuftratam valde fplendere videret, coeleftes fibi obtingere illuminationes, mentemque aeternae lucis radiis illuftrari fomniauit. Audiamus ipfum, vt lectores de fcribendi genere hominis infulfi iudicent: *Ie mehr ich in meinem Vorfatze fortratzte, ie mehrern Wiederratz empfand ich, dafs auch die H. Lichtwelt, mit deren Licht ich umleuchtet, in ihrem Lichte fich entlichtete, oder lichtfchattete, wenn ich fortfuhr, und in ihrem Lichte lichtere Lichter belichtete.* v. Cel. *Wernsd.* l. c.

X.

IOSEPHVS SANSELICIVS, Iefuitarum ordini adfcriptus, in regno Neapolitano, homo ex fententia fcriptorum *Act. Erudit. Lipfienf.* mordax, fub nomine fictitio *Eufe-*

bii Philopatri nomine, animaduerſiones morales et theologicas in hiſtoriam ciuilem regni Neapolitani a. 1728. edidit: In quibus Petrum *Giannonium*, illius ciuilis hiſtoriae autorem, vehementer exarſit, conuitia calumniasque euomuit, omnisque generis contumelia illum onerauit. Hic liber primum clanculum, dein palam a duobus librariis venditur, et per omnem Italiam diſſeminatus, in manus Proregis, Comitis de *Harrach*, peruenit. Ille prudentiorum concilium cogit, rem exponit, et quid agendum ſit, quaerit. Tum omnes non ſolum iſtum librum, cum in priuatos, tum in rempublicam, atque etiam principes iniurioſum atque contumelioſum, proſcribunt, ſed autorem etiam, Romae commorantem, ditionis Caeſareae finibus exulare iubent. Haec ex Actis publicis relata legimus *in Act. Erudit. a. 1729. p.* 423.

XI.

CASPAR SCIOPPIVS, vir in vitiis et virtutibus admirabilis, teſte *Octau. Ferrario* in *Fun. litteratorum*, nimia ac prope cynica

cynica detrahendi libidine omnes ordines non modo sale defricuit, sed in omnem verborum praetextatorum amaritudinem effusus, ipsa litterarum capita virosque reuerendos totis voluminibus concidit, asperisque facetiis vexauit. Neque enim Iacobum, regem Angliae, perstringere dubitauit, cuius iussu nonnulla ex scriptis illius combusta sunt. Quod Casaubonus commemorat, quem nos audiamus: *De Scioppio scito, opera eius nonnulla non solum hic* (Londini) *iussu sapientissimi regis, sed etiam Lutetiae eodem annitente publice cremata esse manu carnificis. Ego aduersus illam beluam scripsi epistolam, quam mittam, si potero. vid. Casaub. epist. CLV.* p. 212. Iesuitas acerrimo odio persecutus est, omnisque generis conuiciis eos proscidit, ex quibus tandem Tuba magna [a]) conflata est. vid. *Act. Erudit. Lipf.* 1714. p. 65. Quare Iesuitarum sine dubio consiliis factum est, vt Venetiis in carcerem coniiceretur. v. *Bail. diction.* T. III. p. 2684. Scripsit etiam sub *Alphonsi de Vargas* nomine librum de monarchia Iesuitarum, in quo inter alia p. 415. scribit: *In Italia nullus veritatis locus, culpa*

 eorum,

eorum, qui veritatem in iniustitia detinent; qui repudiato Christi calice bibunt calicem daemoniorum plenum abominationibus. Hic liber quantum ipsi odium, quantam inuidiam creauerit, facile intelligitur. Atque etiam vix euitasset vitae discrimen, nisi a duce Venetorum defensus fuisset. cf. *Stollii Bibliothec.* P. II. p. 117. Caninam Scioppii facundiam Marq. Gudius in praefatione Grammaticae philosophicae ita quidem excusat, vt nullam apiculam dicat esse sine aculeo, obseruari tamen colique debere, quia magis prosit, quam laedat, Matthaeus autem *Berneggerus* in *obseru. miscell.* studio minime vulgari, sed ardore et insania minime toleranda protestantes, quorum partes deseruerat, aggressum esse queritur. vid. *Io. Henr. Ackeri astrol polit. obseru. variis illustrat. disp. IV. n. 1.* Sufficiant haec pro instituti nostri ratione. Plura si quis de conductitio hoc aulae Romanae mancipio scire cupiat, adeat *Reimannum* in *histor. litt. Germ.* P. V. p. 188. *Fabric. histor. Biblioth. f.* P. III. p. 528. Vitam et parentationem Scioppii Lugd. Batau. a. 1619. et *Bailium* in dictionario.

*) Pseudo-

*) Pseudonymus *Liberius Candidus* a. 1712. in Batauia librum sub titulo, *Tuba magna nouum clangens sonum*, edidit, in eoque contra Iesuitas acerrime declamauit. Quem refutare voluit *Alphonsus Huglenbroucus* in Part. II. *vindiciar. suar.* a. 1713. edit. sed a. 1717. Liberius Candidus tertiam Tubae editionem adornauit, seque aduersus eum defendit. v. *Vnschuld Nachricht*, a. 1717. p. 704.

XII.

Quantas turbas IOH. HENRICVS HORBIVS, Antistes Hamburgensis, excitauerit, neminem ignorare arbitramur. Hic *Poireti* librum *de educatione puerorum*, e Gallico in Germanicum sermonem translatum, a. 1693. sub hoc titulo edidit: *Die Klugheit der Gerechten, die Kinder nach den wahren Gründen des Christenthums von der Welt zu dem Herrn zu erziehen* etc. atque distribuit. Antistites Hamburgenses reliqui primum *Horbium* priuatos inter parietes monent, castigantque, deinde contra illum, se defendentem remque praeclaram se egisse putantem, in orationibus sacris ad populum dicunt. Accidit eodem tempore, vt ancilla quaedam multa proferret de consiliis moribusque *Horbii*;

conuenire plurimos homines in aedibus quibusdam, ibi multa mala de sacerdotibus *Horbio* aduersariis, dicta, multa falsa tradita et facta esse, quae, ne nimis longi simus, praeterimus. Exardescit igitur vehementer ciuitas Hamburgensis in *Horbium*: Senatus ad examinandum librum Theologos quosdam constituit; errores excerpuntur, recitantur, typis exscribuntur. Quo facto sapienti consilio Senatus et *Horbio* et reliquis Theologis silentium imponit. Primus *Horbius* leges negligit, se cum Iesu, aduersarios cum Pharisaeis, pro concione populi comparat, et grauiter reliquos sacerdotes offendit, qui rem ad Senatum deferunt. *Horbius* a munere suspenditur quidem, sed sacerdotes, vt plane remoueatur officio, etiam atque etiam contendunt. Frustra. Mox *Horbius* restituitur. Quod sacerdotibus summopere displicet, qui in suggestu in *Horbium* inuehuntur. Maximae turbae oriuntur, et palam *Horbius* conuiciis proscinditur et a plebe lacessitur. Nihil propius abfuit, quam vt tumultus periculosus oriretur. Varia in lucem prodeunt scripta,

in

in quibus modo accusatur, modo defenditur *Horbius.* Suadet pacem Senatus et ad concordiam sacerdotes adhortatur. Nullam aliam hi pacis restituendae conditionem accipere volunt, quam si publicum inter *Mayerum* et *Horbium* colloquium instituatur. Negat hoc *Horbius*, pernegat, et demum vrbe excedere, seque Schlemmium in Holsatiam conferre cogitur. Quo facto tanta demum dissensionis flamma corta est, vt ipse Imperator Leopoldus ad Senatum Hamburgensem litteras mitteret, eique, quod motus inter ecclesiae ministros non dudum compressisset, exprobraret. Tandem Senatusconsultum factum est, cuius formula haec est: „Sacerdotes Hamburgen„ses, ne posthac de *Horbii* causa, et ad eam „pertinentibus, aut per publicam scripto„rum reciprocationem, aut mentione in „concionibus, copulationibus etc. directe „et indirecte facta, quicquam proferant, sed „ab iis omnino abstineant; secus si fecerint, „contrauenientibus notabilem animaduer„sionem irrogatum iri.„ Denique *Horbius* a. 1695. diem obiit in exilio: [a])

 [a]) Cum

a) Cum de hoc *Horbio* si omnia commemorare vellemus, singularis esset liber scribendus, laudabimus scriptores, pluribus qui de eo exposuerunt. *Recens. Nequit. Piet. t. 4.* etc. *Species facti, und darauf eingeholtes Theologisches und in Gottes Wort gegründetes Responsum der hochfürstl. hessischen Theologischen Facultaet auf der Univers. Giessen über einige Frag-Puncta. Deren Herren Juraten bey St. Nicolai in Hamburg, übel eingerichtete Species facti, Hr. M. Horben betreffend, fürgestellt von dem Ministerio zu Hamburg;* et multa alia, quorum numerus vix iniri potest.

XIII.

Immortali ingenii monumento, immortalem consecutus est gloriam IAC. AVG. THVANVS, quam nulla unquam obliuio delebit. Historiam enim, quam de suis temporibus scripsit, opus esse in eo genere litterarum maximum omnium, quae vnquam post Liuii Annales sunt editae, recte iudicat *Casaubonus* in *Epist.* 263. p. 315. [a]) Veritatis studiosissimus illud operam dedit, vt, causis amoris odiisque procul facessere iussis, laudanda laudaret, vituperanda vituperaret, nec vnquam historiae leges negligeret. [b]) Quare in multorum odium incurrit, Romana

na et Hispanica censura oneratus, aulae Gallicae fastidia sensit, et eo tandem rem perductam esse vidit; vt quaedam mutaret, alia leniret, alia plane detraheret. Tantum profecto odium apud Clericos Romanos excitauit historia *Thuani*, quem Lutheranorum partibus magis quam Catholicorum fauere clamabant, vt filius *Thuani*, eodem nomine insignitus, capitis periculum adiret, et luculentum exemplum proderet, non patribus solum, sed filiis quoque interdum libros perniciosos esse. *Richelius* enim, qui *Thuanum*, quod aliquem maiorum suorum nominauerat, non laudauerat, quasi genus Richeliorum non satis illustre esset, neque honorificam satis Richelii mentionem fecerat, (vid. *Batin. Ep.* 75.) capitali odio persecutus est, vlciscendae iniuriae libidinem in filio expleuit. Sunt tamen, qui putent, ideo filium capite esse punitum, quoniam nemini, Henrici d'Effiat consilium Richelium interimendi, detexisset. *Iacobus Macaldus* sub ficto *Ioh. Baptistae Galli* nomine Historiam Thuani notis illustrare, et auctorem communi omnium odio exponere voluit.

luit. Dignus tamen est, quidquid hic contra dicat, qui vno omnium eruditorum ore laudetur, diligenterque ab iis legatur, qui eorum temporum historiam perspectam cognitamque habere cupiant.[c])

[a]) De noua et satis splendida editione Londinensi v. *Acta Eruditor. Lipsiens.* a. 1737. p. 241. de aliis editionibus v. Sagittar. Introd. in H. E. p. 154. et Struu. in bibl. Histor. p. 204. Whear in Meth. leg. Hist. p. 99. et 172.

[b]) Quam vere senserit Thuanus, patet, vt ex aliis multis; ita praecipue ex voto de lanlena Parisiensi: *Excidat ille dies aeuo, nec postera credant secula, nos certe taceamus et obruta multa nocte tegi propriae patiamur crimina gentis!* Quanto rectius *Thuanus Mureto*, (in orat. XXII. vol. 1.) *O noctem illam memorabilem, et in fastis eximiae alicuius* notae *adiectione signandam, quae paucorum seditiosorum interitu regem liberauit! Qua quidem nocte stellas equidem ipsas luxisse solito nitidius arbitror, et flumen Sequanam maiores vndas voluisse — o felicissimam mulierem Catharinam —.* Quam valde hanc crudelitatem Imp. Maximilianus detestatus sit, docet illius epistola ad Lazarum Schwendium, *in S. R. I. Constitut. a Melch. Haiminsf. Goldast. edit. P. 3. p. 204.* Sed haec obiter.

[c]) De odio *Richelii* in *Thuanum*, v. *historia arcana, sub auspiciis Ludou. XIII. a Richelio gestorum*, T. II. L. IV. Amstelod. a. 1717. Plura de Thuano inuenies apud *Morhof. Polyhist.* L. V. c. 1.

c. 1. p. 221. *Struu. introduct. in notit. R. litter.* p. 93. *Journal litter.* T. II. p. 108. *Bailii diction.* s. v. *Thuanus.*

XIV.

LAVRENTIVM VALLAM eruditis seculi XV. viris, non tantum omnibus, palam praeripuisse, omnemque operam ad pristinam barbariem depellendam, et suum bonis litteris decus suumque vigorem reddendum contulisse atque etiam praeclara ingenii monumenta omni posteritati reliquisse, nemo erit tam hospes in historia litteraria, qui nesciat. Hic, quoniam omnes prope suae aetatis eruditos acerbe perstrinxit, neque ipsis clericis pepercit, multa perpessus est. Audiamus Spondanum ad a. 1447. n. X. de *Valla* sic disserentem: *Eodem tempore Laurentius Valla, Romanus, elegantis quidem pro seculo, sed pro quolibet tempore virulentissimae linguae homo, Neapoli existens, cum quasdam propositiones haereticas asseruisset, delatus ad inquisitores, et in carcerem trusus, damnatusque pro haeretico, beneficio Alphonsi regis, poenam ignis euasit, propositionibus tamen publicis eiuratis, virgis privatim*

vatim per Claustra monasterii praedicatorum manibus reuinctis caesus est. Monuerat eum iam antea Franciscus Philelphus, vt, nisi vitae suae pertaesus sit, abstinere velit a perstringendis sacri ordinis viris. v. *Vossius de Histor. latinis* p. 581. Excusatur tamen *Valla* et ab Erasmo, qui in epistola secunda: *num ideo falsum dixit*, inquit, *quia verum mordacius dixit?* et a Serertio in notis ad Hier. Magii librum *de equuleo*, qui, p. 264. haec doctrinae illius condonanda esse censet. Io. Fabricius eum Grammaticum, Rhetorem, Philosophum et Theologum, in histor. Biblioth. f. p. 319. appellat. Defensionem *Vallae* suscepit etiam Iouius in *Elogiis vir. doctor.* eumque eos modo perstrinxisse scribit, qui optimas artes inculta barbarie defoedauerint, vt iuuentus ad detergendas corruptarum litterarum sordes accenderetur. Obiit a. 1465. annos L. natus. In mortem *Vallae* nescio quis poeta sic lusit:

> Nunc postquam manes defunctus Valla petiuit
>
> Non audet Pluto verba latina loqui.

Iupi-

Iupiter hunc coeli dignatus honore fuiſſet,
Cenſorem linguae ſed timet eſſe ſuae.

Raph. Volateranus hoſce verſiculos, lepidos et facetos, in Vallam compoſuit.

Tandem Valla ſilet, ſolitus qui parcere nulli eſt,
Si quaeris quid agat? nunc quoque mordet humum. [a])

[a]) Plura narrant de Valla Bailius et Budaeus *in dictionariis*, Fabricius *in hiſt. Biblioth. ſuae* P. I. Iouius *in Elogiis*, L. XIII. Mollerus in *Hypomn. ad Morhof. Polyhiſt. alii.* Diſtinguendus eſt a *Georgio Valla*, qui, cum aluum exoneraret, ſubita morte extinctus eſt. v. Pier. Valer. *de litter. infelic.* p. 27.

XV.

THOMAS CAMPANELLA de *recta ratione ſtudendi*, *compendiolum phyſiologiae*, *Atheiſmum triumphatum*, et multa alia edidit. In quibus quia et Ariſtotelem, ſcholaſticorum deum, perſtrinxit, et Regi Neapolitano non tantam modeſtiam et cultum exhibuit, quantam debuit, perduellionis

nis reus factus, in vincula coniectus est. Vbi tantas miserias perpessus est, vt vix sine magno animi dolore illas audire possimus. Primum enim per quinque et viginti annos omnem carceris squalorem sustinuit, deinde cum per quinque et triginta horas quaestio de eo haberetur, omnes circa sedem venae arteriaeque tormentorum vi distractae, eam vim sanguinis expresserunt tortores, quae sisti non potuit. Omnia tamen forti animo pertulit, et ne quidem vocem emisit. [a]) Harum miseriarum variae ab eruditis causae commemorantur. Alii illum Scholasticos philosophos irritasse, alii quae sibi credita fuissent, temere diuulgasse, quidam regnum Neapolitanum hostibus prodere voluisse, scribunt. Nullam nos tamen aliam causam harum calamitatum, quam scriptos ab illo libros, et *Atheismum Triumphatum* praecipue, fuisse arbitramur. [b]) De hoc libro *Sorberius* ita iudicat: *Etsi nihil mihi carius sit tempore, cuius iacturam semper aegre tuli, oleum et operam me perdidisse fateor in legendo libro ineptissimo monachi ineptissimi, Thomae Campanellae, cui titulum*

fecit,

fecit, Atheiſmus Triumphatus. *Farrago eſt ineptiarum, ordo nullus, tenebrae multae, barbaries perpetua. Neſcio enim an a Cicerone intelligeretur, cum verba facit de actibus peccaminoſis, de Bombardis, et Archibaſiis, et Camiſa ſordida. Hoc vnum in vaegrandi libro didici, ne vllum alium eius Autoris librum vnquam legerem, ſi tempori parcere vellem.* v. Sorberian. p. 57. Liber de recta ratione ſtudendi, cuius recenſionem Heumannus, V. Cl. in *Actis philoſoph.* T. I. p. 545. exhibet, monachis in primis diſplicuit. Sequebatur enim Campanella *Bernardini Teleſii* c) ſententias, ab Ariſtotele plane diuerſas, ideoque nouam religionem introducere, et cum Turcis commercium litterarium, idque Hiſpanis valde pernicioſum alere dicebatur. In carcere, in quem a. 1599. detruſus eſt, ſtudiis operam dedit, variosque libros ſcripſit. Quorum praecipuus eſt *liber de monarchia Hiſpanica.* De quo in Conringianis p. 315. haec legimus: *memoriter Campanellam illum in calamum nobili cuidam Italica lingua dictauiſſe, hunc librum per aliquod temporis ſpatium inter re-*

conditos thesauros habitum, deinde a Ioh. Besoldo in germanicum et latinum sermonem conuersum fuisse. Audiamus iudicia quaedam virorum doctorum de hoc Campanella: Primum quidem Crozii, (*Entretiens sur divers sujets d' Histoire de litterat. etc. p. 380.*) *C' etoit un homme d' une ambition demesurée, et d' un esprit à tout entreprendre, ce qui lui attira de fort mauvaises affaires, tant de la part des Espagnols, que de ses propres confreres.* Naudaeus ita iudicat: *fuit ardentis et portentosi ingenii vir, qui noua in omnibus fere scientiis excogitauit.* Fabricius denique in *Hist. Biblioth. P. III. p. 471.* haec scribit: *Fuit philosophus acutissimus, sed et summa eruditione ac parrhisia magnam sibi inuidiam conflans.* [d])

[a]) v. Corn, Tollius *de infelicitate litterat.* in *Analect. de calamitate litterat.* a Menkenio editis, p. 445. et Ian. Nic. Erythr. in *Pinacotheca.*

[b]) De hoc libro iudicant et Struuius *in Act. litterar. ex MSC. erutis, Fasc.* II. T. I. p. 38. et Tenzelius *in colloq. menstruis* a. 1692. p. 890.

[c]) Hic in oppugnando Aristotele multum studii collocauit. Edidit libros nouem *de rerum natura*, Neap. 1586., a Clemente VIII. Pontif. Rom. indici expurgatorio illatos. v. Ioh. Georg. Lotteri

Lotteri *commentarius de vita et philosophia Bernardini Telesii*, Lipſ. 1733. quaterna.

d) Si quis plura de Campanella ſcire cupiat, nec lectu indigna, nec iniucunda, adeat Tob. Adami in praefat. *ad prodromum philoſophiae inſtaurandae*, Reimannum in *Hiſtor. litter. germ.* P. IV. p. 49. Stollium in *Hiſtor. Biblioth. ſtime*, p. 334. Wolfium in diſſert. *de carcere* etc. p. 17. et Bailium in *Dictionario*. Optime tamen omnium vitam Campanellae *Cyprianus*, Theologus primarius, a. 1722. edidit.

XVI.

HIERONYMVS VECHIETTVS AB AEGYPTO, a) Florentinus, in libro chronologico, opiniones quasdam nouas, veluti de ſacra coena b) defendit, atque ea de cauſa ad ſacrae inquiſitionis tribunal delatus, libro combuſto, in carcerem coniectus eſt, in quo annos LXXX. natus obiit. c)

a) Cognomen hoc *Vechiettum* ab itinere, quod Catholicae religionis cauſa per Aegyptum non ſine ingenti vitae diſcrimine fecerat, accepiſſe, ſcribit Ian. Nic. Erythr. *in pinacoth.* ſub hoc nom. p. 196.

b) Docuit Chriſtum non azymum adhibuiſſe, ſed panis vſum inſtituiſſe, vt ex Biblioth. du Pin refert Buddeus in *Lexic. vniuerſ. append.* f. 912. Plura de hac controuerſia vid. in S. V. atque

Magnifici Dni *D. Heumanni* historia de pane azymo et fermentato.

c) vid. Buddeus l. c.

XVII.

CLAVDIVS SANCTIVS, a Caspare Sanctio, non infirmae sortis Iesuita, et a Francisco Sanctio, commentarii de caussis latinae linguae auctore, distinguendus, in disputationibus Theologicis exercitatissimus, teste Bailio, fuit. (*l' un des principaux Controversistes du XVI. siecle.*) Examen doctrinae Caluinianae et Bezanae de coena domini, et commentarium ad edicta veterum principum de licentia sectarum in Christiana religione, et alia quaedam scripsit. Quibus si contentus fuisset, non in tantam incidisset calamitatem. Cum vero in alio libro Henricum III. iuste interfectum esse dixisset, in carcerem coniectus est, in quo a. 1591. exspirauit. Id quod ex Thuano Bailius in *Dictionar.* T. III. p. 2650. commemorat.

XVIII.

HENRICVS CORNELIVS AGRIPPA, nobili genere ortus, et Medicinae, Iurisprudentiae et Theologiae gnarus, libro *de incertitudine et vanitate omnium scientiarum et artium* edito, multorum in odium incurrit. Nam Louanienses Professores XLIII. errores sibi in hoc libro inuenisse videbantur, eosque palam proferebant, sed ita, vt bono Prisciano non paucos colaphos impingerent. Defendit se igitur *Agrippa* in libello, qui in operibus Lugduni editis, p.273. exstat. Quo facto Monachi vehementius exacerbati, omnem contumeliae notam famae, nomine ac vitae *Agrippae* inurere, rem ad Margaretham Austriacam deferre, atque etiam in Caesaris aliorumque odium principum Agrippam adducere ceperunt. Euoluat lector *Summarische Nachr. aus der Thomasischen Bibliothec. T. I. p. 188.* vbi hoc epigramma, sine dubio a monachis factum, legimus:

Inter diuos nullos non carpit Momus:
Inter heroas monstra quaeque insectatur
Hercules: Inter daemonas rex Erebi,
Pluto, irascitur omnibus vmbris,

Inter Philoſophos ridet omnia Democritus, contra deflet cuncta Heraclitus; neſcit quaeque Pyrrhon; et ſcire ſe putat omnia Ariſtoteles, contemnit cuncta Diogenes: Nullis hic parcit Agrippa, contemnit, ſcit, neſcit, deflet, ridet, iraſcitur, carpit omnia, ipſe Philoſophus, daemon, heros, deus, omnia.

Sed audiamus ipſum *Agrippam* de calamitatibus ſuis in *Epiſt. 35. L. VII. p. 379.* haec dicentem: „Cum nuper edidiſſem declamationem illam de vanitate ſcientiarum atque „excellentia verbi Dei, quam in hoc ipſum „ſcripſi, partim, vt ſegniora ingenia ad defendenda bonarum litterarum ſtudia excitarem; partim, vt monachis iſtis concionatoribus arguendorum in omni exercitii genere vitiorum non frigida argumenta conferrem, illi hoc beneficium meum ingrato „penſantes animo pariter omnes communem hoſtilitatem mihi indixerunt, iamque „paſſim a ſuggeſtis, a pulpitis, in publicis „concionibus, apud promiſcuam plebem, „magnis vociferationibus aduerſum me clamabant, iraſcabantur, atque nullam impie-

„tatem,

„tatem, nullam haeresin, nullum contume-
„liae probrum in me non transferebant,
„mirisque gesticulationibus, puta illisis digi-
„tis, iactatis manibus, raptimque retractis,
„collisis dentibus, fremendo, conspuendo,
„vicissimque scalpendo caput, et rodendo
„vngues, et calcitrando pedibus insanientes,
„nullum penitus amentiae genus omittebant,
„quo principis et populi odium iracun-
„diamque in me concitarent.„ Hactenus
Agrippa. In indice librorum prohibitorum,
concilio Tridentino subiuncto, *Agrippae*
opera inter haereticos primae classis libros
referuntur. Atque etiam Agrippa, qui se
ob artem aurum faciendi aliquoties liberta-
tem amisisse, in Ep. X. L. II. scribit, ob hunc
librum Bruxellis in carcere aliquamdiu hae-
sisse dicitur. Sunt vero varia de illo libro,
Agrippae fatali, iudicia virorum doctorum.
Audiamus primum Erasmum, in Libr. 27.
epistol. p. 1083. *Ex huius libri qualicunque
gustu deprehendi, hominem esse ardentis ingenii,
variae lectionis, et multae memoriae, alicubi
tamen maiore copia, quam delectu, ac dictione
tumultuosa, verius quam composita. In omni*

 genere

genere rerum vituperat mala, laudat bona, sed sunt, qui nihil aliud sustinent, quam laudari. Cel. Buddeus et in *Isag. hist. theologic.* p. 21. in hoc libro multa quidem occurrere dicit, quae profanam et impuram viri mentem prodant, nonnulla tamen etiam rectissime verissimeque dicta, et in *Theol. moral.* P. II. c. 3. f. 3. p. 663. *Agrippam* existimat vtiles pariter ac inutiles artes scientiasque vno eodemque loco habuisse, et in vtilium tractatione, quae hominum iis abutentium aut commentis vanis eas commaculantium vitia sunt, ipsis attribuisse artibus scientiisque. Schelhornius denique in *Amoen. litter.* T. II. p. 514. *si quid iudico,* inquit, *inter omnia Agrippae scripta hoc praestantissimum est, et caput effert, exquisita eruditione et grauissimis contra illius aetatis errores atque vitia testimoniis refertum.* Caeterum non vbiuis *Agrippam* serio rem suam egisse arbitratur. Scripsit praeterea Agrippa libr. III. *de philosophia occulta,* ob quos in suspicionem magiae incurrit. Sed Petr. Frid. Arpe in libro de *Talismanibus et prodigiosis naturae artibus* p. 124. insigne opus appellat, eumque ex inuidia

inuidia potius et ignorantia, quam ex vero huius criminis reum pronunciatum esse censet. cf. *Budd. Thß. de Atheism. et superstition.* p. 703. Omnis procul dubio accusatio a characteribus magicis phrasibusque periculosis in L. IV. obuiis provenit. Sed *Agrippam* Librum hunc pro ingenii sui foetu minime agnouisse docet Naudaus, (*Apologie des grands Hommes*, P. II. c. 15. p. 299.) cf. Tenzelius in *Biblioth. curiosa*, T. III. p. 194. et Wierus *de praestigiis daemon.* c. 5. p. 108. Eundem *Agrippam*, canis nigri specie indutum daemonem vsque ad obitum comitem habuisse, ridicule quidam tradunt, vt Paul. Iouius *in elog. doct. vir.* c. 101. Theuetus *in histor homin. illustr.* l. VII. p. 271. et Del Rio in *disquisit. magic.* L. II. qu. 12. n. 10. Quod tanquam commentum recte reiiciunt Wierus et Naudaeus. A Christ. Thomasio, *Agrippa* vir omnium, quos sol vnquam conspexit, honestissimus dicitur in dissert. *de crimin. magiae*, vbi et ideo tot de Agrippa conficta esse existimat, quod Lutherum oppugnare noluerit. En iudicium ipsi consuetum! *)

a) De hoc Agrippa cf. Bail. *diction.* sub hoc nomine, Melch. Adami in *Vitis medicorum*, p. 16. Fabric. *Hist. Biblioth. suae*, P. VI. p. 275. v. Seelen *Select. litterar.* p. 351. *Biblioth. Thomasian.* T. I. p. 183. *Fortges. Sammlungen*, a. 1726. p. 803.

XVIIII.

IOSEPH. FRANCISCVS BORRI, vir fuit arrogans et portentosus.[a]) Insulsas multas et ridiculas opiniones protulit; deiparam aliquam Deam esse, Spiritum S. in ventre Annae incarnatum fuisse, in eucharistia non Christum solum sed et Mariam contineri et adorari docuit; nec paucos in sententiam atque familiam suam traxit. Sibi vero suisque magna pericula imminere videns, fugam cepit. Citatus vero primum a. 1659. atque iterum a. 1660. ad se defendendum sententiamque audiendam, non apparuit. Quare haec de eo pronunciata fuit sententia: „Inuocato S. Nomine Iesu, nos „huius supremae et vniuersalis Inquisitionis „Cardinales in causa vertente inter Petrum „Seristam principem fiscalem nostrum ex „vna parte et Ios. Fr. Burrhum inquisitum „pro-

„processatum contumacem et excommuni-
„catum causa fidei et errorum ex altera par-
„te pro tribunali sedentes ex consilio et sen-
„tentia patrum consultorum huius vniuersa-
„lis inquisitionis dicimus, pronunciamus,
„Ios. Fr. Burrhum praedictas ob causas vt
„haereticum puniendum esse, censuras tam
„generales, quam particulares incurrisse,
„ideoque illum omni honore et praeroga-
„tiua priuamus, foro Ecclesiastico, et ma-
„tre ecclesia, cuius misericordia se indignum
„praebuit, expellimus, atque ad detestandum
„illius delictum effigiem eius Cardinali Pro-
„gubernatori, vel ipsius locum tenenti cri-
„minaliter tradimus ad poenarum debitarum
„executionem. Praecipimus etiam omnia
„ipsius haeretica scripta comburenda esse,
„omnia bona mobilia et immobilia confi-
„scanda etc.„ Cui sententiae a. 1661. sa-
tisfactum est d. III. Ianuar. quo effigies Borri
vna cum libris a carnifice combusta fuit.
Hac sententia lata in Daniam fugit, regique
Friderico III., se lapidem Philosophorum
inuenisse dicens, imposuit. Cuius post
obitum Viennam se contulit, vbi a Legato
Apo-

Apostolico vinculis constrictus, Romam missus, et in perpetuos carceres detrusus est.

*) Appellatur *un fameux Chymiste et Charlatan* a Bailio *in diction.* T. I. p. 653. quicum confer. Tenzel in *colloqu. menstr.* 1692. p. 490. Schelhorn. *Amoen. litter.* T. V. p. 141. *Biblioth. Schraderiana*, N. 1169. Mad. de Gomez *les Journ. amusantes.* T. IV. p. 164.

XX.

De IOANNE LYSERO, insano et infelici illo polygamiae defensore, docte, eleganter et copiose scripsit D. *Io. Ioach. Gottlob Am-Ende* vir humanissimus, et prisca nobiscum amicitia coniunctus, in *Memoria Inspectorum Portensium*, p. 18. seq. Quare lectores, plura qui scire cupiant, ad illum librum ablegabimus, et notatu dignissima inde delibabimus. Natus hic *Lyserus*. a. 1631. Lipsiae, in schola prouinciali Portensi et deinde Lipsiae litteris operam dedit; tum pastor et inspector Portensis renunciatus, parum demandato muneri satisfecit: et, licet coelebs fuerit, ab omnique amore mulierum semper abhorruerit, omnes tamen neruos intendit vt Polygamiam non modo licitam,

tam, sed a Deo quoque praeceptam esse demonstraret. Edidit primum dialogum lingua vernacula conscriptum: *Sinceri Wahrenbergs kurzes Gespraech von der Polygamie*, deinde alium librum: *Das Koenigliche Marck aller Laender*, tum tertium: *Theophili Alethaei discursum politicum de Polygamia*. Quem mox editio auctior secuta est, sub titulo: *Polygamia triumphatrix, id est, discursus politicus de Polygamia, auctore Theoph. Alethaeo, cum notis. Athanasii Vincentii, omnibus Antipolygamis, vbique locorum, terrarum, insularum, pagorum, vrbium modeste et pie opposita.* Quo facto, auctoritate Principis Electoris, munere, licet inuitus, cessit: Comitis Suecici de Koenigsmarck, cuius consilio Polygamiae defensionem suscepisse dicitur, opem implorauit: eo mortuo totam Germaniam peruagatus est; ob fraudes a Comite Hanouiensi in carcerem coniectus: Gustrouio, in terra Megalopolitana, expulsus: Stada eiectus capitis periculum adiit: e Dania iussu regis decessit, munere concionatoris castrensis abrogato, et libro a carnifice combusto: in Suecia in carcerem detrusus,

et

et libris in ignem coniectis exilio mulctatus est, atque, vt alii dicunt a carnifice virgis caesus: deinde ex Italia Hollandiam transiens omni cum calamitatum genere conflictauit: et post tot casus acerbos prope Lutetiam in itinere misere a. 1684. exspirauit. Haec sunt fata, haec vita miserima viri, quem nulla alia ratione ad tam stolidas res asserendas adductum esse, quam stulta famae cupiditate, et praepostero publicae salutis promouendae studio, Bailius existimat.[a])

[a]) Conferatur praesertim epistola elegantissima Masii in *les Nouvelles de la Republique des Lettres*, April a. 1685. p. 370. et praeter auctores a doctissimo *Am-Ende* p. 49. laudatos vid. *Struu. in introd. in notit. rei litter.* c. IX. §. 21. Kulpis. *in colleg. Grot. Exercit.* IV. §. 6. Placc. *in theatr. anonym. et pseud.* 2867. qui Gottl. Wahrmunds *gewissenhafte Gedancken von Ehestande*, librum pro polygamia a Lysero pariter editum, et flammis a carnifice in foro Holmensi concrematum esse commemorat. Schlewig. *in exercit. theol. de peccatis post mortem commissis* §. 11. p. 21. Pertinet huc etiam D. *Christ. Gottl. Clugii* diatr. histor. de scriptis Io. Lyseri ad tuendam et suadendam polygamiam editis etc. Vit. 1748. 4.

XXI.

XXI.

Lysero merito adiungimus BERNARDINVM OCHINVM, [a]) primum Franciscanorum ordini adscriptum, deinde Ecclesiasten Tigurinum, cui dialogus *de Polygamia* [b]) valde fatalis fuit. Nam et a senatu Tigurino intra trium septimanarum spatium, nullam neque hiemis asperitate neque senectutis grauitate ipsi veniam parante, ex regione illa exire iussus est, et, cum Basileae nullum perfugium inueniret, in Poloniam, et, inde Nuncii Apostolici odio expulsus, in Morauiam aufugit, atque etiam duos filios, natuque maiorem filiam, peste in Polonia exstinctos, deplorauit.

[a]) De hoc *Ochino* vid. Bail. in *diction.* sub hoc nom. Mar. Gratian. *in vita Cardin. Commendoni* L. II. c. 9. cit. a Morhosio *in Polyb.* T. I. L. I. c. 8. p. 70. *Obseru. Halens.* T. IV. p. 407. vbi vita illius prolixe enarratur, T. V. p. 1. et p. 64. vbi scripta recensentur: Magnif. *Am-Ende in memoria Inspector. Portens.* p. 30. qui Ochinum malae causae colorem non omnino nullum, pietatis maxime vsum praetextu, largitum esse scribit. Varillas *Hist. de Haeres.* L. XVII. p. 59. *On peut dire qu' il avoit quelque savoir, mais il s' étoit plus attaché à l' eloquence, et à la beauté des paroles, qu' à la doctrine, ou à la force du*

du raisonnement. A peine avoit-il apris le latin, mais lors qu' il parloit sa langue naturelle, il expliquoit, ce qu' il savoit avec tant de grace, tant de politesse, et tant d' abondance, que la douceur et la pureté de son discours ravissoient tous ses auditeurs. Lors qu' il devoit precher quelque part, le peuple y accourroit, les Villes entieres venoient pour l' entendre: il n' y avoit point d' Eglise assez vaste pour contenir la multitude. Quocum consentit Zouius, ad a. 1542. scribens: *In tanta tum erat existimatione, vt vnus optimus totius Italiae concionator haberetur, vt qui admirabili quadam cum actione tum linguae facundia auditorum animos, quocunque vellet, raperet:* Cyprian. *Pent. Hist. Eccles.* p. 94. Fabric. *Hist. Bibliotb. suae*, P. V. p. 148. Chr. Gott. Hoffmanni differt. *de Senio eruditorum*, Lipf. 1711. p. 34. *Vindiciae scripturae sacrae a' Pseudhermenia quae passim in scriptis Patronorum Polygamias* etc. Lipf. 1713. vbi et *Ochinum* a pontificiis ad reformatos migrasse, et deinde in Arrianum degenerasse narratur. *Act. Erudit. Lips.* a. 1724. p. 338. vbi mentio fit libri *Ochini*, aduersus Papam lingua Anglicana, Londini impressi, et sermonum de praedestinatione; *Memoir. de litter.* T. I. p. 183.

b) Est hic dialogus in edit. Basileensi. a. 1563. L. II. n. 3. vigesimus primus. Caeterum istos dialogos praeter polygamiam, quam defendunt, nihil ex Atheismo trahere, scribit Morhof l. c. p. 73. Idem sentit Arnoldus, *in Histor. Haeretic.* P. II. L. 16. c. 22. §. 19. *Die Theologi gestehen, dass er ausser derselben*, (der Meinung von

von der Polygamie) *orthodox gewesen.* At longe aliter sentit Leuin. Nicol. a Mohlzen, auctor annotat. in Thom. Broune *religi. medic. sect. 19.* p. 126. qui *Ochlinum* auctorem libri de tribus impostoribus esse arbitratur.

XXII.

Tertius infelix Polygamiae patronus, SAMVEL FRIDERICVS WILLENBERGIVS, Iurium doctor, ex Academia Viadrina ad illustre Athenaeum Gedanense euocatus, scripsit libellum *de finibus polygamyae licitae*, animosque Polonorum adeo illo concitauit, vt summum regni Polonici tribunal a. 1715. habito Petricouiae senatu publico, librum a carnifice in foro comburendum, auctorem vero capitis reum iudicaret, [a]) sententia quidem paullo seueriore, sed eiusmodi tamen, quae, quantopere Pontificii polygamiam execrentur, manifesto declarat. [b]) Quin et ciuitati Gedanensi, vt liber palam in ignem coniiceretur sub centum millium aureorum mulcta iniunxit idem tribunal.

[a]) Litteras, in quibus haec sententia pronunciatur aduersus *Willenbergium*, eiusque librum, exhi-

bet B. D. Wernsdorfius in disputat. *de polygamia*, p. 12.

b) Ita iudicat modo laudatus Wernsdorfius, in l. c. p. 5.

c) v. *Nachricht wegen der Willenbergischen Controvers* de Polygamia, in *Antiq. Nou. Theol.* A. 1716. p. 341. cf. *Büchersaal*, P. I. p. 49. et *Vindiciae scripturae sacrae a Pseudhermenia*, modo laudatae, in quibus id agitur vt *Willenbergii* errores refutentur. Valde, vt facile intelligitur, hic *Willenbergius* a partibus *Lyseri* stetit, de quo *in den Unpartheyischen Gedancken über den bisherigen Wortstreit D. Weickmanns mit D. Willenberg etc.* ἀνονύμως edito, scribitur, *Ioh. Lyserus habe die Polygamie so wohl verfochten, daß alle seine aduersarii an ihm zu schanden worden, und er mit ihnen, als eine Katze mit der erhaschten Maus spielen koennnen.* v. Cel. *Am-Ende* in l. c. p. 34.

XXIII.

Musis et Apolline fauentibus natum esse PETRVM ANGELIVM BARGAEVM, testatur carmen, quod *de venatione*, inter ipsos belli strepitus, et rei familiaris curas, viginti annorum spatio composuit. Hic primum castra secutus, deinde se mansuetioribus Musis deuouens, per primos sex menses nihil omnino capere, nullosque in litteris progressus facere potuit. Tam corruptum

ruptum erat ingenii acumen, tam exſtincta illa vis animi deſidia et tumultu belli! Rediit vero paullo poſt priſca ſollertia. Venit Bononiam, audit Romulum Amaſaeum diligenter, totumque ſe Graecis et Latinis litteris dedit. Nihil vero tantopere optauit, quam vt, carminis de venatione ſcribendi cauſa, in exteras regiones excurreret. Cuius non paullo poſt ipſi occaſio offertur, etſi non iucunda. Scribit in quendam vxoris ſuae lenonem ſenarios, delatusque atque a Praetore capitis damnatus, lethum fuga euitat, multas terras peruagatur, et poſt varios caſus primum a Regienſibus, deinde a Piſanis ad litteras docendas reuocatur. Quatuor conſtituit libros de aucupio ſcribere, ſed vnum tantum abſoluit. Rogatus igitur, quare non filum pertexat, quia, inquit, nihil cepi in venatione, atque a canibus in ipſo venationis apparatu prope dilaceratus ſum, nolui aucupium tentare, ne, quod reliquum eſt, a vulturibus et accipitribus deuoretur.[a])

[a]) vid. illius vita in *Faſti Conſolari dell' Academia Florentina, da Salvino Salvini, etc. Florent.* 1717.

 XXIIII.

XXIIII.

Est in Voll. II. *Bibliothecae Fratrum Polonorum* seu *Vnitariorum* disputatio inter Socinum et CHRISTIANVM FRANKEN: vtrum Christus, cum non perfectissima ratione Deus sit, adoratione religiosa colendus sit, nec ne? et quae a. 1584. in aula Paulicouii quidem habita, sed a *Franken* non ex veritate, sed e lubitu descripta. Fuit hic *Franken* Gardelebiensis, Iesuita Romae, post Rector scholae Chmielnicensis in Polonia, et tandem lector Claudiopoli in Transiluania. Negauit semper et pernegauit, Christo diuinum cultum et diuinos honores habendos esse. Quae dementia eo processit, vt libros *contra Trinitatem* scriberet, qui ipsi vehementes et iustas persecutiones et typographo iacturam officinae typographicae excitauerunt. vid. *Sand. B. A.* p, 86.

XXV.

Vellem, vt, quas a natura dotes ingenii nactus erat, ad meliora conferre voluisset IO. TOLANDVS, homo, vt recte *Deylingius* in *Obs. S. P. II. p. 109.* iudicauit, in

impias

impias, quasuis et ἀθέους opiniones proiectissimus, et atheorum, quos nostra aetas tulit, facile impudentissimus, teste *Buddeo*, *Thes. de Atheism. p. 8.* Nam et vehementer literis prodesse, et omnibus illis calamitatibus et turbis carere potuisset, quas sibi libris suis creauit. Consilium ceperat librum scribendi, in quo Christianam religionem quam maxime perspicuam esse, neque sane rationi contraria dicere, probare, mysteria religionis exponere, et quam conformia sint rationi, ostendere, veritatem denique Sacri codicis contra Atheos et alios defendere voluit. Prima huius libri pars, a. 1696. Londini hoc titulo, *Christianity not mysterious* edita, multorum animos in *Tolandum* incitauit. Erant enim in eo multa parum prudenter, parum pie dicta. Recusus est hic liber eodem anno noua praefatione auctoris; et a. 1702. Londini, cum Apologia *Tolandi*, eius ipso inuito, addita. Hunc librum, vt Dublinum mitteret, adductus est immoderata quadam famae cupiditate. Quo cum a. 1697. profectus esset, accidit, vt a primario Theologo in concione populi refutare-

 tur.

tur. Quod non eo animo tulit, quo debuit. Palam male de Christiana doctrina dixit, sacerdotes irrisit, cultum Dei contemsit, atque sic vixit, vt, quicunque *Tolandi* consuetudine vteretur, niger, et impius videretur. Quare non solum Senior collegii S. Trinitatis Dublini contra *Tolandum* scripsit, eumque, vt alia taceamus, pessimum hominem et alterum Mahometam appellauit, sed etiam ipse liber, anno 1697. d. XI. Sept. iussu Parlamenti, palam a carnifice in ignem coniectus est. *) *Tolandus* vero, quem in vincula coniicere et punire voluerunt; fuga salutem quaesiuit. In hoc libro multa impia esse, ipse *Tolandus* fatetur. Quod sibi ignosci posse credit, qui hunc librum annos XXV. natus scripsisset. Refutatus hic liber est a viris doctissimis, Ioh. Norrisio, Eduard. Stillingfleeto, Paynio, Beuerleio, Beckensalio, aliis. Aliis quoque libris editis: vt Ioh. Miltonis scriptis, in quibus de θεοπνευστία N. T. dubitare videtur, nec satis caute de Carolo I. iudicat: vt T. Liuio a superstitione vindicato: vt originibus Iudaicis, in quibus Atheos superstitiosis praefert, b) Mosen vero Spi-

nosistam

nosistam fuisse arbitratur, c) multorum sibi odium plurimasque turbas conciliauit. d)

a) v. *Gelehrte Fama*, P. VII. p. 475. *Leipzig. Gelehrt. Zeitung.* 1722. p. 293.
b) v. *Act. Erud. Lips.* 1709. p. 248. inprimis, p. 251. *Neue Bibliothec.* T. III. p. 386. *Ausführ. Ber.* p. 585.
c) *Deyling. Obseru.* S. P. II. p. 4.
d) Ceterum de Tolando vide. *Act. Erudit. Lips.* a. 1700. p. 372. a. 1719. p. 479. a. 1710. p. 477. vt et *Act. Erud. Germanico sermon.* scr. T. II. p. 607. Budd. *Thes. de Atheism. Journ. d. Scau.* 1709. Apr. p. 88. *the life of Mons. John. Toland*, Lond. 1722.

XXVI.

SAMVEL SORBIERIVS primum Lutetiae medicae rei operam dedit, deinde ad Batauos abiit, mox redux in Galliam et inde post annum ad Batauos reuertens, Leydae substitit, uariaque ibi edidit, vt *Discursum Scepticum de Chylo*, et *Politicam Hobbesii a se versam.* Dein iterum in Galliam rediens, Reformatam commutatit religionem cum Pontificia, magno pretio accepto, multas regiones peruagatus est, et, in Angliam cum abiisset, edidit istius itineris descriptionem.

Quo factum est, vt in vrbem Nannetum expelleretur, vnde tamen reuocatus fuit non multo post. Causam exilii non desunt qui regi Daniae tribuant, quem apud regem Galliae questum esse dicunt, *Sorbierium de Vlefeldio* comite nimis libere in illo libro scripsisse. Obiit a. 1670. [a])

[a]) Vitam *Sorbierii G. L. Colomyez* scripsit, et *Sorberianis* praefixit.

XXVII.

Vbertus Folieta, Genuensis, vt ingenio et eruditione litteris politioribus, praesertim latinis, maximum decus attulit, ita scribendi licentia proceres patriae vrbis grauiter offendit, et in primis propter duo libros, *de nobilium et plebeiarum familiarum distinctione*, lingua populari, in patriae salutem optima mente conscriptos, perduellionis damnatus, in exilium eiectus est, quod patienter tulit, in eoque mortuus est. [a])

[a]) vid. vita *Folietae* a B. *Moshemio* scripta, et suauissimo sermone conscripto libro *de vsu et praestantia linguae Latinae* praemissa, vbi *Mirneus*, *Teissier*, *Thuanus*, alii, laudantur.

XXVIII.

XXVIII.

BARTHOLOMAEVM PLATINAM ob litteras nimium vehementes, et acerbas, in carcerem coniectum esse, et Fabricius in *Histor. Biblioth.* suae, P. II. p. 488, et scriptores vitarum doctorum Italorum (*Giornale de lettrati d' Italia*) T. XIII. p. 416. commemorant. Quibus de litteris prope omnes, qui de vita *Platinae* exposuerunt, tacent. Caspar. Sagittarius autem in *Hist. Ecclef. T. I. c. XXV. §. X.* copiose rem enarrat. „Post Pii mortem, dicit, a Paulo II. loco motus est, et bonis omnibus spoliatus, non alio nomine, quam quod apud Pium in honore fuisset. Aegre admodum id tulit *Platina*, et palatium continuis viginti diebus obsidens, cum ad Pontificis colloquium neutiquam admitteretur, missa epistola ad reges et principes dilapsurum minabatur, eosque adhortaturum, vt concilium ipsi indicerent, in quo gestorum rationem reddere cogeretur. Platinae ferociam carcere durissimo et compedibus castigauit Paulus. Ipsum audiamus Platinam de calamitatibus suis in vita Pauli II. misere querentem. *Reuinctus eram*, inquit,

 pedibus,

pedibus, et quidem grauissimis media hieme, sine foco, celsa in turri ac ventis omnibus exposita coerceor mensibus quatuor. Trithemius *de scriptoribus Eccles.* p. 377. haec refert: „Multas a Papa Paulo II. calamitates sustinuit, adeo, vt bonis omnibus et dignitate spoliatus, post equulei suspensionem in carcerem crudelissime detrusus, vsque ad mortem ipsius Pauli detentus sit, a Sixto IV. mox liberatus.„

Nomen si quis proprium illius scire cupiat, *Sacchum* appellatum esse, narrant. *Platina* vero ideo nominatur, quoniam in pago terrae Cremonensis, olim *Platina*, hodieque *Piadenna* dicto, natus fuit. v. *Anon. vit. Luc. Holstenii* p, 10. Inclaruit nomen *Platinae Historia de vitis Pontificum Romanorum*, Colon. 1610. edita. Hunc librum, qui a Christo vsque ad Paulum II. h. e. ad a. 1471. romanor. Pontif. vitas enarrat, ornauit annotationibus suis *Onuphrius Panuinus*, qui et supplementa vsque ad Pium V. i. e. a. 1572. addidit. Pertexuit deinde eam historiam *Antonius Cicarella*, vsque ad Paulum V. i. e. a. 1602. pontificum imaginibus adiectis. Primum haec historia

storia exscripta est typis Venetiis, a. 1479. fol. teste Bailio, in T. III. *diction.* p. 2453. Varia vero variorum de hoc libro sunt iudicia. Robertus quidem *Chreygthon* Platinam auctorem siccum et strigosum appellat, saepe verborum, saepe sensus, multoties rerum experientia, nonnunquam integritate destitutum. Et quod magis miremur, nunquam lapsus est grauius, quam in Eugenii vita, sub cuius temporibus floruit. Sannazarius vero in historiam Platinae hosce versiculos composuit,

> Ingenia et mores vitasque obitusque notasse
> Pontificum, argutae lex fuit historiae.
> Tu tamen hinc lautae tractas pulmento culinae,
> Hoc Platina est ipsos pascere pontifices.

Flacius illum inter testes veritatis refert, et in Catalog. p. m. 1909. sic laudat: „Etsi Platina turpiter et impudenter papis adulatus sit, tamen nimia ipsorum turpitudine et malitia coactus aliquando etiam subindicat Babyloniae meretricis nefanda scelera. — In pontificibus

tificibus post millesimum annum subinde repetit, omnem pietatem et sanctitatem a papis ad caesares migrasse „. Praeter hanc Romanorum Pontificum historiam alia quaedam scripsit Platina, quae a Fabricio, l. c. p. 425. commemorantur. De fatis illius et secundis et aduersis v. Bailii *diction.* T. III. s. v. *Platina*, Struu. in l. c. T. I. Fasc. IV. p. 3. Auctorem der *Würtenbergischen Nebenstunden* P. II. p. 105. *Georg. Ern. Walchius in obseru. de societate abbreuiatorum Romanorum*, cuius directorem *Platinam* constituit, in *T. I. Misc. Lips.* p. 144. *Halleruordium* pluribus in *biblioth. curios.* p. 29. eius fata enarrasse scribit. Verum si Halleruordium euoluas ne verbum quidem de Platinae fatis inuenies, nisi hoc vnum, se in Syntagmate de Cl. *Bibliothecariis* plura esse allaturum. Tandem *Platinam* a. 1481. peste extinctum esse scimus, quam multos nobis eruditos, vt Martinum Opitium, Eob. Hessum, Io. Thom. Freygium, Ioh. Rosinum, Hermol. Barbarum, Corn. Iansenium, Poggium, Buxtorfium sen. complures alios diuersis temporibus rapuisse recordamur.

XXIX.

XXIX.

BALTHASAR BEKKERVS, Theologus Reformatus, et antistes Amstelodamensis, edito libro famoso, *de betoverde Weereld* etc., *mundus fascinatus*, [a]) adeo hominum animos concitauit, vt Senatus Ecclesiasticus hunc librum tribus sacerdotibus et duobus senioribus examinandum traderet. Quo facto Synedrium non solum librum condemnauit, sed etiam *Bekkerum*, in errore perseuerantem, a munere sacro, eucharistiae vsu, atque adeo ex membrorum ecclesiae Reformatae numero exclusit. Quantopere hic liber Batauorum animos allexerit, studiumque accenderit, ex eo colligi potest, quod MMMM exempla duorum mensium spatio diuendita sunt. Age vero afferamus quaedam virorum doctorum de hoc libro iudicia. Optime collectores *Actor. Erudit. Lipsiens.* a. 1692. p. 27. iudicant, tanta audacia hunc librum scripturae innumera loca peruertere, ac, vbi primae hypotheses probandae essent, probationibus destitui, vt paucos neminemue, paullo reuerentius scripturas sacras habentem, nec ad

ratio-

rationis occaecatae in ſpiritualibus dictamen eas reſingentem, fore putent, qui ab eo in ſuam ſe pertrahi ſententiam paſſurus ſit. *Melchior Leydekkerus*, vir doctus, ſe nihil inueniſſe, inquit, quod Mineruam ſapiat, vbique repetitam ex Hobbeſio aliisque Libertinis recoctam crambem, conuitia in orthodoxos fratres, ac perpetuam ignorantiam Theologiae veteris et hodiernae de miraculis, atque argumentorum ex iis pro religionis veritate deſumendorum. v. *Act. Erudit.* a. 1692. p. 522. Quid vero *Chriſt. Thomaſius* de hoc libro ſentit? Primum in *diſſertat. ad Poiret.* p. 38. *virum*, inquit, *doctiſſimum, et inculpatae, quamdiu vixit, vitae, principiis Philoſophiae, quam excoluit, in deuia abreptum eſſe, et cum abuſum, h. e. ſuperſtitionem et nimiam credulitatem taxare debuiſſet, maluiſſe rem omnem auferre.* Deinde diſſertationem *de crimine magiae a Ioh. Reichio* ſub praeſidio *Thomaſii* defenſam legenti, illius mens obſcura eſſe non poteſt. *Braehmius*, e familia Thomaſii, in diſput. *de fallacibus indiciis magiae*, de Bekkero haec ſcribit: *nullus dubito, quin auctor ſuaſorque ſim alicui, Bek-*

keri

keri mundum fascinatum diligenter euoluere, non ea intentione, vt cum ipso praecipitanter nimis in alterum extremum impignat, et omnem magiam explodat, sed vt dubiis in illo libro formatis fvtatur ad doctorum placita et asserta, tum et historias de Magis eo cautius et maiori examine perpendenda. etc. Nescio tamen, quid *Rabo* in mentem venerit, qui hunc librum opus illustre, et sapientiae et eruditionis plenum appellat. v. *Act. Erudit. T. II.* Suppl. p. 162. Quanto melius olim iudicauit, qui, vt Theologus Vltraiectinus, *S. de Vries* in libro, *de Satan in sun Weesen*, commemorat, dixit: *Dit boeck sal in een paer Maenden meer quaeds gedaen hebben, als de Predikanten in twintigh Jaren met al haer Prediken sullen konnen verbeetern*, h. e. liber hic intra duorum mensium spatium plus malorum excitabit, quam omnes sacerdotes viginti annis prohibere possunt. Caeterum hunc librum infantis chartacei nomine insignitum, coniugi suae nitidissimis versibus plurimaque laude refertis *Bekkerus* dicauit, quorum initium affert *Dan. Fridr. Ianus in diss. de fatis dedicationum librorum* p. 50. cf.

B. Grap.

B. Grap. in *Syst. Contr.* T. II. p. 80. Cum munus ei abrogatum esset, aduersarii *Bekkeri* in numismate diabolum habitu sacerdotali vestitum, asino insidentem, tropaeumque dextra tenentem proponebant, eoque diabolum in synodo huius rei causa coacta vicisse, *Bekkerum* vero superatum esse indicabant. v. *Schaupl. der gelehrten Welt.* P. V. p. 403. Aliam in honorem *Bekkeri* causam monetam exhibet Tenzelius in *colloqu. menstr.* a. 1692. mens. decembr. Prima eius facies *Bekkerum* veste sacerdotali amictum, altera Herculem cum claua proponit, his verbis additis. *Opus virtutis veritatisque triumphat.* [b])

[a]) Si quis plura de hoc libro cognoscere cupiat, et iudicia variorum legere, euoluat *Act. Erudit. Lips.* a. 1714. p. 444. *Gundling. Obs. Select.* T. I. p. 78. Baile, *lettr. chois.* p. 359. Romani dissert. *de eo an dentur spectra*, Lips. 1703. p. 56. Grapii *dissert. de tentatione Evae et Christi* §. 11. Meuschenii *Postilla Mystic.* p. 290. *Vnschuldige Nachricht.* a. 1702. p. 205. a. 1708. p. 243. a. 1721. p. 1082. *Act. Philosoph.* P. IX. p. 470. Budd. *Thes. de Atheism. p. 278. Acta Erudit. vernaculo sermone scripta*, T. III. p. 866. M. Kettneri *dissert. de Spinoza et Bekkero*, a. 1694. *Journal des Sçav.* a. 1707. Iul. p. 45. *Goezii Miscell.*

Miscell. Predigten. p. 369. lit. b. vbi auctores plures laudantur, et summa libri quasi in compendio exhibetur. Eidem *Bekkero* editionem *catechismi* fatalem fuisse, legimus *in aufrichtigen und unpartheyisch. Gedanken über die Journale*, P. II. p. 133. Nam cum, in praefatione praecipue, quae in catechisationibus sibi minus probarentur, perstrinxisset, Maresium sibi infestum reddidit, qui auctoritate, qua multum valuit, effecit, vt libri *Bekkeriani*, vsus campanarum sonitu palam interdiceretur.

[b]) De fatis, turbis, et vita *Bekkeri* copiose exponunt Lilienthal. *in select. Historic. et litter. Obs.* II. p. 17. *Guil. Henr. Beckher in lib. de controuersiis praecipuis* Balthas. Bekkero, *Theol. Batauo quondam motis, ob librum* etc. Regiom. ac Lips. 1721. et Tenzelius in *colloqu. menstr.* 1692. p. 109. seq.

XXX.

MICHAEL WIEDEMANN, primum diaconus Suidnicensis in Silesia, deinde sacrorum Stolbergensium praefectus, a. 1689. adhuc iuuenis in libro, *historische poëtische Gefangenschafften* [a]) inscripto, contra Iesuitas et Clericos Romanos paullo liberius multa dixerat. Annis XIV. interiectis, cum *Wiedemannus* omni dexteritate sacerdotio fungeretur, praeter omnem spem et opinio-

nem hunc librum, quem multi ne recordari quidem poterant, e puluere et obliuione in lucem proferunt pontificii, famosum et doctrinae catholicae contrarium esse clamant, et ad curiam Iauerensem supremam deferunt. Quae auctoritate caesarea munita, auctorem in vincula conicit. Qua de causa varii iique satis vehementes motus coorti sunt. Aduersarii quidem *Wiedemanno* turpe exilium, et libro ignem minantur. Diuina vero prouidentia accidit, vt vir pius et probus honeste ex carcere emissus eo die, quo ipsi munus Suidnicense abrogatum est, ab Illustri Comite Stollbergensi, ad maius obeundum munus, vocaretur. Natus est obscuro loco pago *Gersdorf*, in agro Görlicensi a. 1659. a parentibus rusticis. [b]) [c])

[a]) Singulae huius libri partes singulis mensibus Lipsiae prodierunt. In his non magis excellentiam artis, quam rerum varietatem et copiam, praecipue in commentariis annexi, mirificam esse, censet Neumeisterus, in libr. *de poetis Germanicis*, p. 111.

[b]) De rusticis eruditione claris Schroederus a. 1707. Ienae libellum scripsit. Pertinent huc Matthias Cutenius Rect. scholae Neobrandenburgensis, qui, cum frumentum in horreo tereret,

ret, fortuito iuuenem cantu ad studia inuitabatur, Petr. Montmaur, (*Journ. d. Sçav.* 1716. P. I. p. 376.) Nicol. Schmidt, (*Struu. Act. litter. ex MSC. Fasc.* I. p. 188.) Ludouicus Carree (*Act. Erudit.* 1715. p. 347.) Henric. Bebelius, Rudolph. Agricola, (*Reimanni Einleitung in die Histor. der Gel.* P. III. p. 327.) et vt multos alios taceamus, Iohan. Vlischius, ὁ νῦν ἐν ἁγίοις, olim scholae Afranae Rector, quem mihi ipsi narrare memini, se iuuenem, cum propter paupertatem pecudes pasceret, in campo libros legisse.

*) cf. *Hallensis Bibliothec.* S. XII. p. 181. et Funcii *Biographia Gorlicensium* p. 154. qui libros a *Wiedemanno* scriptos p. 156. enarrat. Quae in libello, ipsi fatali, scripta fuerint exponit Auctor Anonym. *der aufgefangenen Briefe* T. III. p. 167. vbi omnia fusius commemorantur. Deplorant hunc casum Auctores *der unschuldigen Nachrichten*, 1702. p. 614. et decretum Iauerense de captiuitate proponunt.

XXXI.

Prodiit a. 1644. Hafniae libellus, hoc titulo insignitus: *Dania ad exteros de perfidia Suecorum*, de quo in Io. Deckheri *coniecturis de scriptis adespotis*, p. m. 28. relatum legimus; Suecos palam professos esse, hunc libellum THEODORVM REINKINGIVM scripsisse; ideo hunc per longum temporis

ſpatium in carcere latuiſſe, eaque inde conditione eſſe emiſſum, vt vel capite plecteretur, vel libellum deuoraret; hoc elegiſſe *Reinkingium*, et mira aſtutia libellum in pulmentum conuerſum, comediſſe. Addit vero Deckherus, neque ſcribendi genus *Reinkingium* referre, neque magnum illius animum, vt hiſtoriolae fidem habeamus, permittere. Atque etiam Placcius in *theatr. anonym.* p. 225. *Gundaeum Roſenkrantzium*, conſiliarium aulae Danicae, libelli auctorem eſſe, commemorat. [a])

[a]) cf. Iac. Fr. Reimanni *Verſuch einer Einleitung in die hiſtor. litterar.* P. III. p. 396.

XXXII.

De IO. TENNHARTO quid ſentiendum ſit, nemo, niſi in hiſtoria eccleſiaſtica hoſpes ſit, ignorabit. Hic tenui genere a. 1662. natus, artem tonſoriam et capillamentariam didicit, ciuibus Noribergenſibus adſcriptus eſt; ſemper viſiones, ſomnia et colloquia, quae cum Deo inſtituiſſet, in ore habuit; ſibi a Deo ſcribae munus oblatum eſſe, gloriatus eſt; et quae ſcribert, ſibi a

Deo

Deo esse dicta, aliis persuadere voluit. Sed cum ad sacerdotes libellum quendam scriberet, (*Worte Gottes, oder Tractätlein an den so genannten geistlichen Stand,*) eumque scriptum a. 1708. Senatui reipubl. Noribergensis traderet, in carcerem datus est. Vnde, cum exiisset, hunc librum cum aliis, quos sibi a Deo esse dictatos putabat, typis exscribendos curauit. Inde ab a. 1714. iterum Noribergae in custodiam missus est, ex quo a. 1715. abeundi veniam nactus fuit. Obiit in itinere a. 1720. Casselae. [a])

[a]) De vita sua ipse *Tennhartus* exposuit, et colloquia praecipue cum Deo, atque visiones commemorat. cf. *Herstellung des Kirchenfriedens in den Land-Gemeinden Ulmischen Gebiets.* a. 1713. *Vnschuldige Nachricht.* a. 1710. p. 549. p. 740. a. 1723. p. 439. a. 1726. p. 133. a. 1727. p. 771. Quam noxii sint errores *Tennharti* et quantopere sibi ab his cauere debeant homines, docet Langius, *in dem Vnterrichte von unmitelbaren Offenbarungen.* a. 1715. edit.

XXXIII.

Scripsit CONRAD. SAMVEL SCHVRZFLEISCHIVS, communis Germaniae magister, et immortali vir gloria, adscito

 Sarck-

Sarckmasii nomine fatali, [a]) *iudicia de nouissimis iurisprudentiae ciuilis Scriptoribus.* Dictio in his est elegans, tersa, et ad veterum scriptorum imitationem composita, sed multo sale conspersa. Quare, cum viros quosdam nobiles, vt Herm. Conringium, Boeclerum, Samuel. Pufendorfium, Phil. Iac. Spenerum, Samuel. Rachelium, Georg. Hornium, alios [b]) perstrinxisset, ex ciuium Academicorum numero exclusus, et Vitemberga eiectus, Lipsiae, Berolini et aliis in locis latuit, donec in illa ipsa, ex qua iussus fuerat exire, Academia professoris munus obtinuit. [c])

[a]) Hoc ipsum verbum adhibitum legitur in programmate Academ. Vitemberg. contra Schurzfleisschium scripto, quod habetur in Theod. Cruss. *Actis Sarckmasian.* n. XIII. p. 269.

[b]) v. *Nou. libror. raror. collect. Fasc. II.* Halae, 1709. cf. Cel. *Baumeisteri*, viri elegantis doctrinae, et amici nostri suauissimi comment. *de insigniorum nonnullorum Satyricorum fatis funestoque vitae exitu*, eleganter scripta. Sect. II.

[c]) Inter eruditos coelibes recte nostrum refert Irenae. Carpentarius *in centuria erudit. coelib.* p. 54. Ipse vero profitebatur, se non ex contemtu coniugii a vitae socia abstinere, sed quia legibus his vitam suam circumscribere nollet, fatetur. Bibliotheca illius locupletissima, neque

que solum plurimis Latinorum Graecorumque auctorum libris, sed multis quoque, manu doctorum virorum ad marginem illustratis, ornata, in bibliothecam ducis Vinariensis transiit. cf. Cel. Gesneri Tractat. *de Bibliotheca ducali Vinariensi, praesertim qua fuit Schurtzfleischiana.* Vinar. 1723. Omnibus, qui de vita viri summi exposuerunt, palam praeripit Cel. *Bergerus*, v. *dissert. Academ.* p. 89. Ex quo fonte omnes deinde suos hortulos irrigauerunt. v. *Act. Erudit. Lips.* 1708. p. 481. *Nou. litter. Germ.* 1708. p. 349. *Clarmundus*, alii. Praesagia clarorum virorum de *Schurtzfleischio* collegit Ioach. Mantzelius *in lib. de praesag. eruditor. de erudit.* §. 37. E quibus memoranda videtur potissimum vox illa Ioh. Victoris, Cancellarii aulae Waldeccensis: Pater tuus niues spargit, meritisque venerationem aetatis addit, in te magnum Boxhornium Salmasiumque destinat, et erudito orbi pollicetur.

XXXIV.

GEORGIVS BVCHANANVS, in agro quodam regni Scotiae a. 1506. natus, diem suum obiit Edinburgi, a. 1582. d. 28. Septembr. Perstrinxit egregius hic Poeta iussu Iacobi, regis, monachos e familia Francisci, carmine, quod *Syluam Franciscanorum* inscripsit. Quare variis modis ab iis vexatus, et in monasterium, seu carcerem potius,

detrusus est. E quo nisi custodibus dormientibus, per fenestram aufugisset, vix capitis euitasset periculum. Ille, qui a. 1543. *memoires of the Family of the Stuarts* edidit, *Buchananum* grauiter reprehendit, quod et animo et scriptis Mariam, reginam, nefarie laesisset, eundemque narrat iam morti proximum a Deo petiisse, tantillum vt sibi temporis concederetur, quo crimen in maiestatem commissum, palinodia expiare, animique turbas sedare posset. conf. *Act. Erudit. Lips.* a. 1685. p. 23. Praeter Historiam Scotiae elegantissimam, carminum Dauidis paraphrasin edidit, quam certatim et vno ore docti viri laudant. [a]) Dauidis vero pietatem, si Sandaeno et Bidermanno, Iesuitis, fides habenda, vita minime expressit. *Buchananum* per annos XXX. ne orationem quidem dominicam recitasse, nobis persuadere cupiunt. [b]) Sed quis est, horum qui hominum calumniandi libidinem nesciat? [c])

[a]) De paraphrasi psalmorum erudite agit Ioh. Gottl. Krausius *in der Bücherhistorie* P. I. p. 38. vbi varia doctorum hominum iudicia affert. Nouam illius et accuratam editionem Abbas de Lestang Parisiis edidit.

b) v. May-

[b]) v. Mayeri *betendes Kind Gottes*, p. 6.

[c]) Opera *Buchanani* in vnum volumen redacta in Scotia prodierunt, v. *Journ. litter.* T. IV. p. 217. et *Ephemer. Parisienses* 1716. P. II. p. 430. vbi Roberti Fribarni Epistola de editione editorum et ineditorum *Buchanani* librorum occurrit. Aliam editionem Thomas Rudimannus curauit, cuius mentionem faciunt *memoriae Treuoltienses*, menſ. Febr. N. II. Caeterum de *Buchanano* vid. Pope-Blount *in cenſ. celebr. auctor.* p. 462. Bail. *diction.* ſub hoc nomine, Wolf. in diſſ. *de carcere erudit. muſeo*, §. IX. p. 15. Clarmund, ſ. Rudiger *in vita Buchanani*, quae inuenitur in P. III. *vit. clar. viror.* p. 75.

XXXV.

Non ſemel IOANNES SELDENVS, vir magni ingenii et induſtriae, iniquitatem fortunae expertus eſt. Cum a. 1621. in ſenatu regni, de periculo religionis liberius dixiſſet, Regi Angliae ſe adeo inuiſum reddidit, vt Rob. Ducaeo, Decurioni Londinenſi, in cuſtodiam traderetur, in qua quinque ſeptimanas commoratus fuit. Diſſoluto a Rege Parliamento, anno 1629. cum aliis quibusdam, qui non ab aulae partibus erant, in turrim Londinenſem, et deinde in ergaſtulum piraticum detruſus eſt. E quo, ſine

eiusdem anni emittebatur quidem, mox tamen iterum in vincula coniiciebatur, quae, detecta innocentia, ipsi detrahuntur, et pro iniuriis perlatis MMMMM librae a. 1647. ex publico aerario persoluuntur. Idem *Seldenus* edito libro *de Decimis*, quas iure diuino niti negauit, magnas turbas concitauit, clerumque in se adeo excitauit, vt palam palinodiam canere cogeretur. *)

*) Vita Seldeni praefixa est editioni illius operum, a Dau. Wilkins Londini a. 1726. curatae, vbi vid. p. 6. 8. 9. 26-29. cf. Stollii *Bibliothec.* p. 380. sequ.

XXXVI.

Paulus Sarpius, qui sub nomine PETRI SVAVIS POLANI diu latuit, ex ordine seruorum, et inde *Seruita* quoque dictus, natione Italus, vir eruditionis admirandae, exquisitissimi iudicii, indefatigabilis industriae, modestiae denique et integritatis vix aequiparandae, *) libris quibusdam contra Pauli V. pontificis arrogantiam, ad defendenda Venetorum iura, scriptis, aulae papali adeo infestus est factus, vt non solum

pro-

proſcriptionis, ſiue, vt vocant, excommunicationis poena afficeretur, ſed eiusdem quoque aulae machinationibus, a quinque ſicariis, cum veſperi ad monaſterium ſuum rediret, inuaſus, multisque vulneribus ſaucius pro mortuo relinqueretur, aggreſſoribus in aedes nuntii Apoſtolici, et inde Romam fugientibus. [b]) [c])

[a]) Hoc elogium cum multis aliis habet Pope-Blount *tr. Cenſur. celebr. Aut.* p. 608.

[b]) Diligenter et vere de excommunicationis indole expoſuit, accurateque docuit, pontifici Romano, ſuae vtilitatis cauſa, alios proſcribendi, ius et poteſtatem nullam eſſe. v. *Vnſchuld. Nachricht*, a. 1720. p. 92.

[c]) v. Thuan. Lib. 137. Hiſtor. et Vita Pauli Seruitae a *Patre Fulgentio* ſcripta *Hiſtor. Concil. Trident.* praemiſſa eſt. cf. etiam Morhof. *Polyh.* T. I. L. I. c. 21. p. 221.

XXXVII.

EDMVNDVS RICHERIVS, [a]) Presbyter Lingenſis, itemque Doctor Sorbonicus et Vniuerſitatis Pariſienſis Syndicus, etiam inter infelices auctores referendus eſt. Scripſit ille libellum *de Eccleſiaſtica et Politica poteſtate*, quo Pontificem Romanum vehementer

menter offendit, multumque sibi molestiae creauit. Etenim cum in Collegio Cardinalis Monachi esset, immissis a duce Espernonio satellitibus, vi exinde raptus et carceri inclusus est, ex quo tandem, amicis et Academia Parisiensi intercedentibus, caussaque coram senatu bene dicta, dimissus est. Cum vero postea, a P. Iosepho Capucino ad prandium vocatus, in aedes illius veniret, praesente Notario Apostolico vt retractaret, strictis pugionibus adductus est. Hoc praemium laboris studiique tulit, vir ille, cui, vti ipse dicere solebat, in medio regno, cuius iura strenue tuebatur, velut exuli viuendum erat, cuique, ne sibi vis ab aduersariis inferretur, collegio pedem efferre non licebat. In anno mortis definiendo non consentiunt scriptores. Philippus Mornaeus *in mysterio iniquitatis* ad an. 1612. commemorat, *Richerium* propter hanc fati iniquitatem, ingenti terrore percussum, biduo post an. 1633. obiisse: auctor vero Anonymus, qui an. 1723. *memoires Chronologiques et Dogmatiques* ad imitationem Tillemontii, edidit, hoc negat, eumque an. 1631. defunctum esse docet.

Iudi-

Iudicium de libro isto *Richerio* tam fatali, qui legere cupit, adeat *Noua littteraria* an. 1720. N. 18. p. 140. [b])

[a]) Goldnerus *in bibliotheca αὐτοδιδάκτων Richerium* nostrum inter *αὐτοδιδάκτȣς* refert, eumque magno πολυμαθείας ardore ad literarum studia, sine duce, annos viginti natum, se contulisse, commemorat. Idem ille *Richerius* edidit *historiam Conciliorum generalium*, quae in *Actis Erud. Lips.* 1683. p. 494. sqq. recensetur. *Vindicias* quoque *doctrinae maiorum scholae Parisiensis* adornauit; nec non *obstetricem animorum*, quem librum Adamus Rechenberg an. 1695. denuo publici iuris fecit, et in praefatione de vita *Richerii* exposuit. Plura de vita, fatis et scriptis huius viri inueniuntur in *Ephemeridibus Parisiens.* 1716. P. I. p. 256. sqq.

[b]) Verba haec sunt: *Dieses Werk kann denen Catholischen Geistlichen, sonderlich in Franckreich, sehr gute Dienste thun, indem sie die Meynungen ihrer Kirche besser, als in irgend einem andern Buche, darinnen finden, und es wird dienen das Andencken derselben, aller Bemühungen, die man sich gegeben und noch giebt, dasselbe zu unterdrücken, ungeacht, zu verewigen. Die protestirenden Theologi können auch viel daraus lernen, und die Waffen daraus nehmen, sich wieder die Verfechter des Römischen Hofes zu vertheidigen.*

XXXVIII.

XXXVIII.

NICOLAVS FRANCVS, [a]) poeta Italus, ingenio amoeno et celeri, sed satyrico, praeditus, et teste Colero *in Anthol.* p. 152. magna Etruscae, Latinae et Graecae linguae peritia instructus fuit. [b]) Varia in aulam Romanam scripsit, largius aceto perfusa, quam Pontifex perferre poterat, vt *Philenen Satyram*, et *Pasquillum*, cui verba Iohannis: *verbum caro factum erat*, fuerant inserta. Quibus sibi magnum odium conflauit, vltimumque supplicium perpessus est. De quo non vna est doctorum hominum opinio. Colerus in l. c. p. 156. *Obseruandum hic operae pretium ducimus*, scribit, *dignum hunc senem nequaquam capita damnatum fuisse a P. Pio V. contumeliosa ob verba in ipsum effusa, vt fere omnes hallucinati autumant, sed famosos ob libellos, quos in Pium IV. viuentem ac mortuum effutierat. Cum enim Francus Priapeia explanare coepisset, eiusdem Pii IV. iussu non solum vetita ei fuit, verum etiam combusta coepta explanatio. Hinc ingenti in Pontificem flagrans ira, plurima in ipsum voce ac scripto profudit conuitia. Pro his nullam tunc*

tem-

temporis poenam luit, quia valido Carindalis Moroni patrocinio fretus. Pontifice vero functo, adeo in mortuum acuit calamum, ac famosos euomuit libellos, vt nullum fuerit conuicii genus, quod in illum non exspuerit. Huius rei gratia, Pio V. iubente, morte damnatus fuit. Sunt, qui *Francum*, fracto crure ad Pasquinum, statuam, cui libelli famosi solent affigi, suspensum fuisse dicunt. [c]) Magliabechus in epistola ad familiarem se ab oculari teste accepisse scribit, *Francum* tempore noctis, atro syrmate loco supplicii vestito, morte punitum fuisse. In *Carpentariis*, quae Parisiis an. 1714. prodierunt, p. 53. legitur, *Francum* iussu Pii V. non quod Paulum IV. conuitiis lacerasset, sed priuatum ob odium (*par une haine particuliere lui chercha querelle assez mal à propos*) e patibulo suspensum esse.

[a]) Distinguendus est a *Daniele Franco*, auctore libri de indicibus librorum prohibitorum v. Baillii *Nouvelles*, 1685. P. II, p. 786.

[b]) cf. Tollius *de infelic. litterat.* p. 430. et Bernhard. *in der curieusen Historie der Gelehrten* p. 847.

[c]) v. Schelhornii *Amoenit. litter.* T. VIII. p. 502.

XXXIX.

XXXIX.

De TRAIANO BOCCALINO varia sunt hominum iudicia. I. Fabricius illum virum acri, sed tumido atque inflato ingenio, ad iocandum cum aliquo maledicto facetum, omnique elegantia doctrinae excultum fuisse, atque ad morem Satyricorum aliorum vitia notasse, propria vero non animaduertisse, existimat. Eundem Kochius in diss. *de Satyra e rep. litterar. eliminanda*, §. 11. *Tom. II. Misc. Lipsiens.* p. 599. eleganti a natura ingenio praeditum, ea praesertim arte excelluisse scribit, quae in Rebus publicis et gubernandis ciuitatibus versetur. Plura dabit Pope-Blount *cens. celebr. auctor*, 651. Scripsit vero librum, qui titulo *Lapidis Lydii politici*, Italice, *pietra del paragone politico*, innotuit. [a]) In hoc regis Hispaniarum non tantas esse vires ac opes, demonstrauit, quantas putarent homines, easque, si quis alius rex rem recte adgrediatur, facile labefactari infringique posse, monuit. Quod, quomodo optime fieri posset, ostendisse etiam fertur. Quare Venetiis, vbi se maxime tutum fore sperabat, a quatuor validissimis hominibus correptus,

reptus, in lectum coniectus, et sacculis, arena refertis, sic contusus est, vt paullo post exspiraret. [b]) Scripsit idem *Boccalinus Relationes ex Parnasso*, in quibus multorum vitam perstrinxit, atque ideo Italiae Lucianus appellatus fuit. Plurimi *Boccalinum* imitari voluerunt, inter quos maxime Pallauicinus eminet, qui ad illum proxime accedit. Idem institutum a. 1710. Nicolaus Amenta est aggressus, qui Neapoli *de Rapporti di Parnasso* edidit. Ad *Boccalini* vero elegantiam, perspicuitatem, sales et facetias hic accedere non potuit. vid. *Nouell. litter.* a. 1716. p. 233. Tacitum etiam eruditis notis ornauit, de quibus Cel. Morhofius T. III. *polyhist.* L. 2. p. m. 17.: *Olim tanquam* κειμήλιον *seruabatur in eruditorum Bibliothecis, nunc a Blauio editus est*, commentarius iste, qui e Bibliotheca Gudiana illum *accepit*. [c])

[a]) Prodiit hic libellus Cosmopoli, 1652. et recusus Cosmopoli, re autem vera Berolini, sumtibus Nicolai, Bibliopolae, a. 1726. Latine ab Ernest. Ioh. Creutzio redditus prodiit Amstelod. apud Elzeuir. 1640. germanice vna cum Relationibus ex Parnasso, Francof. 1654. Recensetur autem a Struuio in *Biblioth. philos.* c. 4. §. 17. et a Carl. Arndio *in Biblioth. Politico-*

G *herald.*

herald. selecti. Class. II. gener. Class. X. special. §. 5. n. 4. p. 360. cf. Ian. Nic. Erythr. *in pinacoth.* III. n. LIX. p. 767. Eundem Cardinalibus Caietano et Borgesio tribui, docet Stollius in *introd. in histor. erudit.* P. I. c. 5. §. 70. et Arndius l. c. p. 361. Sed Boccalinum verum esse auctorem luculenter demonstrat *Vigneul-Marville Melang. d'histoir. et de litterat.* T. I. p. 10. Sub nomine hoc *Vigneul-Marville* latere Bonauenturam d'Argonne monet Bailius, (*lett. p. 666. et 708.*) et Heumannus in *Actis philosoph.* P. II. p. 362.

[b]) cf. Bailii *diction.* P. I. p. 620. Mencken. *Analect. de calamit. litterat.* p. 444. Fabric. *Histor. Biblioth. suae*, P. III. p. 489. Morhofius in l. c. p. 80. hanc calamitatem ipsi ob *Relationes* accidisse commemorat. Obiter hic narrandum, Gallum haud incelebrem, *le Noble*, ob librum Gallicum, (*piere de touche politique*) singulis superioris seculi mensibus emissum ad requisitionem legati Lusitani in carcerem ideo fuisse coniectum, quod non honorifice satis regem tractauerit. v. Placc. *in theatr. anonym. et pseud.* c. IX. n. 2467. f. 611.

[c]) Marquardus Gudius ex peregrinatione multos codices manu exaratos, aliaque doctorum virorum monumenta nondum edita secum attulit, et illis bibliothecam suam, omnis generis libris instructam, sic auxit, vt priuatorum sortem longe excederet, et regiam probe fortunam adaequaret. v. *Morhof. Polyb.* T. I. L. I. c. 25. *Act. Erudit. Lips.* a. 1691. p. 139.

XL.

XL.

Rogerivs de Bussy Rabutin, a. 1668. natus, in Iesuitarum collegium traditus, tanta auiditate atque ingenii celeritate litteras humanitatis hausit, vt vndecimo anno aetatis dignus iudicaretur, cui philosophia traderetur. Annos XVI. natus castra sequi coepit, rebus in Lotharingia gestis interfuit, et deinde ad litterarum studia se recepit. Octo vero mensibus peractis iterum militiae nomen dedit, variaque fata expertus est. Bis fuit in custodiam datus. Primum quidem a. 1641. in suspicionem venit, parum in praelio se fortiter rem gessisse, suisque partibus minime satisfecisse, atque ideo carcere multatus est. A. 1660. vero in libello quodam [a]) amores nobilium foeminarum descripsit. Quare primum aula discedere iussus, deinde exilio affectus, tandem in custodiam datus est, vbi praeclara quaedam scribendi nactus fuit otium. [b]) Librum illum, ipsi fatalem, argutum et elegantem quidem, sed nimis aculeatum appellat Huetius *in Comment. de rebus ad ipsum pertinent.* L. V. p. 129. Scripsit etiam com-

mentarios de rebus suis in quo ipse se magnifice laudat. Ingenio fuit valde iocoso, lepido et faceto.

a) *Histoire amoureuse des Gaules, à Cologne a. 1708. par le Comte de Bussy.*

b) v. *les Memoires de Roger de Rabutin Comte de Bussi*, Paris. 1697. 12. Cel. Menckenii diss. *de comment. histor. quos Galli* memoires *vocant*, n. 45. p. 37. Wolf. *de carc. erud. mus.* p. 43. Menckenii diss. *de Viris militia aeque ac scriptis illustribus*, p. 20. Lips. 1708. Ob alium librum, *les amours du palais Royal* ad regem eum ab inimicis delatum fuisse, ex Morerio narrat Budd. *in Lexic. hist. univ.* s. v. *Rabutin.*

XLI.

Ioanni Lvfftio, typographo, bibliopolae, atque consuli Vitebergensi admodum fatalis fuit Bibliorum editio. Audiamus ea de re Andream Riuinum in *Ludis secularibus ob inuentam in Germania calcographiam*; (libro raro nec vbiuis obuio) p. 9. sic dicentem: *Ioh. Lufft*, qui primus Biblia germana Lutheri procuderat, eam ob causam quotannis a Pontifice ipso die viridium inscriptus papyro in ignem coniectus perhibetur cum imprecationibus et diris

vsitatis.

visitatis. En tibi exemplum, quod quousque odium et superstitio progrediatur, demonstrat! Gretserus illum, qui Biblia Lutherana flammis tradat Ephesiis comparat, qui libros curiosarum artium Vulcano corrigendos tradiderint, et P. Eisenhuth Lutheranorum Biblia rogo putauit digniora esse ipsis lasciuis Ouidii carminibus; quod haec mores tantum, illa fidem quoque corrumpant. vid. Schelhorn. *Amoen. Litter.* T, VIII, p. 478. At ne quis forte putet pontificios in versionem modo Lutheri tantopere inuectos esse, monebimus Godofred. Hannenberg, ordini Iesuitico adscriptum, in libro Silessilebis, 1724. edito Biblia in lingua, vt aiunt, authentica scripta, culpasse, et ecclesiae testimoniis postposuisse, atque etiam Eccium, Deum nunquam Bibliorum editionem iussisse demonstrare voluisse. v. *Fortges. Saml.* 1724. p. 22. Qui vero de Hasio dicamus, qui scripturam sacram expressum diaboli verbum appellat, nisi sensu ecclesiae intelligatur? [a]) Quae cum ita sint, nemini mirum videri debet, Pontificem ob vernaculam Bibliorum versionem adeo in *Lusstium*

 exar-

exarsisse. Addit vero, modo laudatus Riuinus, *Lufftium* has diras risisse, et eo die plerumque se hilarius gessisse, his additis: ego hodie vehementer Romae in flamma desudabo, proinde largiorem potum assumam, et illam restinguam necesse est. [b])

[a]) vid. *Christl. Evangel. Jubelpredigten auf das erste Luther. Jubelf. geh. durch vier Doctor. und Profess. Theolog. zu Wittenberg.* p. 274. cf. Langenmarck *Histor. Catechet.* P. I. p. 393.

[b]) Vitam, laudes et fata *Lufftii* Theologus Altorfensis celeb. Georg. Gustau. Zeltnerus a. 1727. edidit, et *Lufftio* primam bibliorum Lutheri editionem tribuit, p. 47. sed, quantum memini, huius fati mentionem nullam fecit. Plura de *Lufftio* dabit *Steph. Mattaire* in Annal. Typographicis, et Cl. *Schoepflinus* in Vindic. Typograph. v. Neue. Litt. Bogr. Mag. 31. St. p. 191.

XLII.

FERRANTES PALLAVICINVS, Placentinus, Canonicus Regularis, seu Augustini congregationis Lateranensis, ob varias Satyras, [a]) in quibus Vrbanum VIII. Pontificem, totamque Barberinorum gentem perstrinxit, a simulato tandem amico, *Carolo Morsu*, Gallo, proditus, Auenione in

ferali

ferali pegmate capitis supplicium subiit, [b]) et tale fatum expertus est, quale ei Loredanus in epistola [c]) quadam praedixit.

[a]) Tales sunt *il corriero svaligiato*, *il divortio celeste*, *la baccinata*, quae continentur in operibus illius selectis, edit. in II. part. in Villa franca, 1673.

[b]) Narratur triste hoc fatum in Vita *Pallauicini*, Italice scripta, et tam citatis operibus praefixa, quam versioni *diuortii coelestis*, *a.* 1696. Amstelod. editae.

[c]) Verba notatu digna habet Stollius in Introduct. *in histor. erudit. Part. I.* c. V. p. 242.

XLIII.

Exstat STATII BVSCHERI *Cryptopapismus nouae Theologiae Helmstadiensis*, licet neque loci, neque anni, neque typographi nomine addito. [a]) In hoc libro accusat auctor Helmstadienses Theologos nouitatum in doctrina de S. Scriptura, de iustificatione et bonis operibus, de peccato originis, de christiana ecclesia, de potestate Papae Romani, de coena domini et sacrificio missae, aliorumque errorum contra Corpus doctrinae Iulium, in cuius verba iurassent, commissorum. Fuit tum *Buscherus* Hano-

verae sacerdos ad aedes S. Aegidii, atque bis ad senatum ecclesiasticum citatur, vt causam diceret. Primum vero imbecillitatem atque aegritudinem corporis simulans, non paruit, et deinde clandestina fuga se cum suis proripuit. Dedit ad Senatum Hanoueranum litteras, in quibus se libenter causam suam acturum esse profitetur, si legitimus et incorruptus adsit iudex. Dicitur paullo post fugam obiisse, etsi vbi et quomodo mortuus sit, ignoramus. [b])

[a]) Impressus hic liber dicitur Hamburgi apud Tobiam Gundermannum, a. 1639. vid. Placcius de *Pseud.* p. 498.

[b]) De Buschero atque hoc libro v. *Vnschuldige Nachr.* a. 1716. p. 991. et Crenii *Animadu. Philol.* P. XIII. p. 198.

XLIV.

Tres libros, quantum nos quidem scimus, scripsit IEREMIAS FELBINGER, Briega Silesius. *Prodromum demonstrationis* ex libris V. T. quod solus pater Domini nostri Iesu Christi sit vnus Deus: quod solus homo Iesus sit Christus et filius Dei, et quod Spiritus S. sit virtus Dei, anno 1654. porro

demon-

demonstrationes Christianas pro eodem argumento, et quod per fidem iustificati teneantur vitam suam instituere secundum praecepta Dei et mandata Christi, e libris N. T. depromptas a. 1653. et denique *Epistolam ad Christianos*, vnum altissimum Deum, patrem Domini et Saluatoris nostri I. C. secundum sacras scripturas V. et N. T. recte agnoscentes, Amstelod. 1672. Secutus est primo castra Suecorum, sed e militia redux scholam Coeslinensem in Pomerania regundam suscepit. Quemadmodum vero in castris multa grauia perpessus erat, ita neque in hoc munere constantem fortunae fauorem expertus est. Recepit enim atque defendit in prioribus duobus libris dogmata Vnitariorum, atque hac de causa an. 1653. munere exutus fuit. Contulit se quidem Helmstadium, sed quoniam ibi libros suos Studiosis legendos praebuit, ante solis occasum vrbe decedere iussus est. Hinc Amstelodamum abiit atque iuuentute instituenda et erroribus typographicis corrigendis, aegre vitam tolerauit. Obiit 1689. natus annos LXXIII. *)

 *) Vid.

*) Vid. *Benthemii Holländischer Kirchen- und Schul-staat; Arnoldi hist. eccles.* P. II. p. 564. et *Sandii bibliothec. Antitrinit.* p. 157. nec non eiusdem *Catalogus Scriptorum Socinianorum*, (sistens appendic. II. propylaei Histor. Ecclef. Christianae Seuerini Walth. Slüteri p. 285. 286.) ex quo plura eius scripta eiusdem argumenti cognoscere licet. Conferatur etiam *Fabricius* in *Histor. Bibliothecae suae* P. V. p. 52. et *Relationes Innocuae* s. *Vnschuld. Nachr.* a. 1705. p. 589.

XLV.

CORNELIVS, Gallus, iam senex scripserat carmen, hoc quod titulo innotuit, *l'occasion perduë et recouvrée*, lasciuum et impudicum. Quo facto Cancellarius *Seguierius Cornelium* adcersit, grauiter obiurgat, et certo die vna secum coram Confessionario peccata expiare iubet. Fatetur *Cornelius* P. Paulino, se versus lasciuos composuisse, atque hac poena afficitur, vt primum librum Thomae a Kempis, *de imitatione Christi*, in Gallicos versus conuertat. Quod tam feliciter ei successit, vt et precibus Reginae aliorumque adductus secundum librum, et morbo afflictus tertium quoque transferret.*)

*) vid. *Carpentarian.* p. 284.

XLVI.

XLVI.

IOH. s. GIOVANNI CINELLI, diu Florentiae Medicinam docuit, magnamque variis libris gloriam nactus est. E quibus memorari prae aliis meretur *Bibliotheca volans*, quam in certas sectiones diuisit, quarum quarta Auctori multas molestias attulit.[a]) Ibi enim controuersias inter Rammazinum et Monegliam vehementiori stilo descripsit, seu notauit potius. Quo factum est, vt et haec sectio a carnifice palam combureretur, et *Cinelli*, per XCIII. dies carceri inclusus, in exilium eiiceretur. Qui casus tantum afuit, vt satyricum *Cinelli* ingenium frangeret, vt ille potius omnis ordinis homines perstringeret, sibique infestos redderet. Natus annos LXX. a. 1706., aut ex aliorum opinione, a. 1705. diem obiit in castello Lauretano. Bibliothecam volantem Sancassani continuauit, et sub ficto *Philoponis* nomine, ad finem perduxit.[b])

[a]) Primordia et fata huius Bibliothecae enarrant *Ephemerid. Parisiens.* T. VII. p. 164. *Cinellum* Bibliothecam hanc ex consilio Maglabechii scripsisse, eamque libellos et schedas rariores continere, notat Morhofius in *Polyh.* T. I. L. I. c. XVIII.

c. XVIII. p. m. 232. cf. *Act. Erud. Lips.* 1688. p. 345.

*) Vitam *Cinelli* edidit Paulus Gagliardi. v. *Nouell. litter.* 1737. p. 636. cf. Iul. Negri *histor. scriptor. Florentinor.* p. 277.

XLVII.

De ANTONIO VENETIANO pauca sunt, quae dicenda habeamus, eaque ex *Anton. Mongitorii Bibliotheca Sicula* excerpta p. 73. Vir fuit eleganti ingenio praeditus, lepidus, in sermone multas facetias proferens, sed ob libellos satyricos saepius in carcerem detrusus. Captus est a piratis, Algeriis seruiit, et a. 1578. a Senatu Panormitano, soluto pretio, redemtus fuit. Denique ob libellum in Proregem scriptum, cuius auctor Antonius noster dicebatur, Panormii in vincula coniectus est. Vbi, cum tormentarius puluis, ibi reconditus, nescio quo casu, accenderetur, a. 1593, vt ipse praedixerat, *) miserrime periit. Venatianum hunc non omittere debuit Dau. Theodos. Lehmannus, in libello *de casibus Poetarum Tragicis*, vel *fatis eorum aduersis*, valde iucundo, et Viteberg. a. 1714. scripto.

*) Plu-

*) Plurimos eruditos, vt Stoeflerum, Rohrmannum, Dudithium, Ern. Stockmannum, Vaninum, alios sibi mortem praedixisse constat. vid. M. Dan. Frid. Iani dissertat. *de eruditis sibi mortem praesagientibus*, in *Miscell. Lips.* T. II. p. 635.

XLVIII.

FELIX MALLEOLVS, Germ. *Hämmerlein*, circiter a. 1434. vixit, et inter alia *processum iudiciarium coram Deo habitum, inter Nobiles et Thuricenses ex vna, et Switenses partibus ex altera, tum sententia definitiua et eius executione*, edidit.*) Qui liber multo sale persperfus, animos multorum in *Malleolum* incitauit. Quorum ira accidit, vt in carcerem mitteretur, et in vrbe Zurchensi in monasterio Franciscanorum teneretur captiuus. Quod fatum tantum abfuit, vt *Malleoli* ingenii vim atque vigorem extingueret, vt ad varia scribenda illum impelleret. Quo anno carcere emissus fuerit, non satis constat. Nos quidem parum certi de *Malleoli* vita habemus, et quae iam in medium protulimus, doctissimo Auctori Thesauri Historiae Helueticae debemus. Catalogum libro-

librorum *Malleoli* exhibent *Noua litteraria Lipſ.* a. 1736. N. 64. p. 564.

[a]) Hic venit nobis in mentem *Iacobi Ayreri Proceſſus iuris*, de quo quid ſentiendum ſit, lectores iudicent. Expugnauit Chriſtus gehennam, et damnatos liberat. Lucifer Chriſtum accuſat. Belial Syndicus conſtituitur, cum notario et duobus teſtibus Deum adit. Salomoni, vt de re cognoſcat, imperatur. In ius vocatur Chriſtus. qui, quoniam multis negotiis diſtrictus eſt, ſuas partes Moſi mandat. Moſes ne in ius veniet, a Iudaeis impeditur. Belial venit, et Chriſtus vt damnetur, poſtulat. Negat Salomo, *quod tota dies citato cedat Gloſſ. in* §. *omnis ſtipulatio.* Ex his facile de reliquis iudicari poteſt. Quod ſi vero quis elegantius quidquam ſeire cupiat, legat quae Racinus, vir politiſſimi ingenii, de Bartholo diſputat. (*Hiſtoire de l' Acad. des Inſcript.* etc. T. X. n. XIV.) Hic enlm ingenio ſuo tantum indulſit, vt diabolum cum Maria iure agentem, fingeret. Venit diabolus ad tribunal Chriſti, et, an quispiam humanum genus defenderc velit? interrogat. Maria ſe defenſionem illam ſuſcipere velle profitetur. Negat diabolus. eſſe illam matrem iudicis, et mulierem coram iudicio nihil agere debere. Quod argumentis ex Digeſtis et Codice petitis comprobare conatur. Diabolus, quoniam generis humani poſt Adami lapſum dominus fuiſſet. vt cautio fiat, poſtulat. *Spoliatus*, ait, *antea reſtituendus*, et praeſcriptionem appellat. Negat Maria. *Quod vi aut clam*,

et

et *ex leg. III. §. vlt. Dig. de acquirenda possessione* malignum possessorem praescriptionis ope nihil sibi acquirere posse docet. Sed haec hactenus. Nobis tamen homines hi magis miserandi, quam irridendi videntur.

XLIX.

MICHAEL SERVETVS, Hispanus, Villanouae in Arragonia natus est, qui, vti animum nouitatis [a]) cupidum habuit et linguae Arabicae addiscendae gratia, viginti annos natus, in Africam abiit, ita reuersus ex itinere variis libris, insolitis prauisque opinionibus refertis, in Gallia editis, cum de *Trinitatis erroribus*, [b]) tum maxime de *Restitutione Christianismi*, eam sibi calamitatem creauit, vt primum Viennae in custodiam daretur, deinde, postquam ipse sibi fuga consuluerat, effigies et libri comburerentur, denique Geneuae, consilio Caluini, antea amicissimi, mox infestissimi [c]) iterum vinculis constrictus, viuus rogo impositus, et, libro de *Restitutione Christianismi*, femori alligatus, flammis exustus, misertime periret. [d])

[a]) Ita de eo iudicat Moshemius *in historia vitae Michaelis Serueti*, Helmstadii, a. 1727. edita.

b) De

b) De libris *Serueti* vid. *Act. Erud.* a. 1710. p. 781. *memoir. de litterat.* T. I. p. 29. Schelh. *Amoen. litter.* T. II. p. 348. *Biblioth. Bremens.* A. I. p. 739. *Vnschuld. Nachricht.* a. 1710. p. 157. *N. Zeitung.* a. 1721. p. 506. Cyprian. *Catal. MSC. Biblioth. Goth.* p. 109. Seelen *Select. litterar.* p. 52. et p. 68. *Act. Erudit.* 1719. Scherz. *Syst.* p. 66. qui eum, Deum hermaphroditum vocasse, scribit.

c) De odio hoc Caluini passim vid. Moshem. p. 42. p. 45. 98. 156. *Bibl. Angl.* T. III. p. 222. et *Act. Erudit.* a. 1694. p. 163.

d) De morte *Serueti* praeter Moshemium vid. Cyprian. *Pent. disp. eccles.* p. 90. *Vnschuld. Nachricht.* a. 1726. p. 637. et *Acta Erud.* a. 1714. p. 63. vbi Bailius hoc supplicium non probasse dicitur. Caeterum vita *Serueti* copiose et diligenter scripta vid. *in Bibl. Angl.* T. II. et *Gelehrt. Fam.* P. 24. p. 872. *Antiqu. Nou. Theol.* a. 1717. p. 241. Arnoldus *in haereseol.* LXVI. c. 33. non modo Seruetum excusat, sed etiam verum et solidum Christianismi fundamentum ei adscribit, eo nomine reprehensus ac refutatus a Theologo Primario, Cypriano, in lib. *de motibus Socinianorum*, c. II.

L.

IOANNES FISCHERVS, primum Doctor et Cancellarius Vniuersitatis Cantabrigiensis, deinde Episcopus Roffensis, multum apud Henricum VIII. regem Angliae, quem

quem olim docuerat, auctoritate et gratia valuit. Sed cum diuortium et expulsionem reginae laudare nollet, atque etiam palam in [a]) libris improbaret, tantum in regis odium incidit, vt primum in carcerem detrusus, mox d. XXII. Iul. 1535. securi percuteretur. Tres linguas calluit, et iure suo doctis illius tempestatis viris annumeratur. Lutherum illiusque doctrinam maximo odio habuit, et *Assertionis Lutheri de variis doctrinis papisticis confutationem*, edidit. Supplicium magno animo pertulit, omnibus, talia qui machinati erant, bona precatus. Misit Paulus III. captiuo pileum cardinalitium. Sententiam vero, vt mutaret *Fischerus*, iramque regis leniret, tantum abfuit, vt magis etiam illam accenderet. Cum ad supplicium duceretur, *pedes*, exclamauit, *facite officium vestrum, breuis vobis adhuc est metienda via.* Tum carmen, *Te Deum laudamus*, canens, fortiter vltima exspectauit. [b])

[a]) De libro fatali, quem contra diuortium regis scripsit vid. Nicol. Sanderus, *de origin. et progress. Schismatis Anglicani.* L. I. p. 83.

 b) De

b) De *Fischero* vid. Bellarminus *de scriptor. Eccles.* p. 252. du Pin *Biblioth. Eccles.* T. XIV. p. 145. *Fortgef. Sammlungen*, a. 1724. p. 851.

LI.

NICOLAVS DRABICIVS, ex Morauia ortus a patre, qui in vrbe Strasnitz consul fuit, inter fanaticos seculi XVII. valde eminet. A partibus fratrum Bohemorum fuit, et per aliquot annos munere sacro functus est, quod a pontificibus a. 1628. ipsi abrogabatur. Proficiscitur deinde ad Hungaros, se ad ducem Ragozy confert, et, otio diffluens, nescio quas reuelationes, omniumque Iudaeorum atque profanorum hominum conuersionem in ore habet. Quoniam vero pleraque sua vaticinia aduersus domum Austriacam profert, (iussu enim Ferdinandi II. Imper. expulsus fuit) pessima quaeque illi praedicit, et in libro, *Lux in tenebris*, multa non toleranda scripsit, porro etiam atque etiam commonefactus, ineptiis abstinere noluit, sed nouam reuelationum suarum editionem parat, illaque Christo regi regum, dicare meditatur, iussu Imperatoris a. 1671. d. XVI. Iul. Presburgi manu capiteque truncatus est,

cor-

corpore vna cum libro modo nominato, rogo impofito, et flammis fub patibulo abfumto. [a]) Io. Amos Comenius reuelationes *Drabricianas* collegit, multorumque ideo odium et inimicitias expertus eft. Id quod ipfe fatetur in editione germanica *Vnius Neceffarii*, [b]) p. 461. Frid. Adolph. Lampe, Theologus Reformatus non contemnendus, in *Hift. Ecclefiae Reformat. in Hungaria et Tranfyluan. Drabricium* hunc e familia Lutheranorum fuiffe fcribit. In quo nobis errare videtur. Conftat enim Fanaticum hunc primum ecclefiae Reformatae addictum, tum a pontificiis deceptum, eorum facra amplexum effe. Hi enim veniam homini et vitam promittunt, miferumque diu vana fpe lactant. Cum vero iam in eo effet, vt poenas daret *Drabricius*, admonet Iefuitas, et vt promiffis ftarent, flagitat. Illi fe non temporalem, vt aiunt, fed aeternam vitam in animo habuiffe, et hanc fe illi conferuaffe dicunt. v. *Fortgefetzte Sammlungen* a. 1728. p. 1099. [c])

[a]) v. Reinh. Dieter. Voigt *differt. II. de haereticis mifera morte extinctis*, §. 46. p. 63.

 [b]) Com-

b) Commenii *Vnum Necessarium* cum notis et additamentis Ahasu. Fritschii Francofurti prodiit. Scripsit hunc librum annos LXXVII. natus, et a. 1668. *viam lucis vestigatam et vestigandam* edidit, vbi subtilem Chiliasmum fouet. Priuatum sibi cum numine commercium esse gloriabatur, *Drabicium*, Felgenhauerum, alios, sequebatur, et Burignoniam maxime coluit. cf. Feustkenii *Gynaec. Haeretic. Fanatic:* p. 241.

c) De Drabicio vid. Bailius in *diction.* T. I. p. 1066. Stockmann. *Elucid. Haeresium* p. 196. Alethophili *Sendschreiben an Herrn M. R. O. von neuen Propheten. Cölln. 1712. p. 57.*

LII.

THOMAS WOOLSTON, Londini a. 1733. diem suum obiit. Vir fuit multarum rerum cognitione instructus, sacrae vero scripturae, praesertim vbi miracula Christi commemorat, omnem fidem et auctoritatem derogauit. Scripsit 1705. libellum, quem *The old Apology* inscripsit. In quo illud potissimum sibi propositum habet, vt, litterali plane reiecta, allegoricam sacrorum librorum interpretationem defendat. Litteralem igitur qui rationem sequantur Apostatas, et in alio libro, *Free Gifts to the Clergy*, Anti-Christi ministros appellat. Idem vero, cum

a. C.

a. C. 1726. in disputationibus de miraculis, (*discourses on the miracles*) omnia miracula facta esse negaret, allegorica vero ratione explicandos esse doceret, qui illa commemorarent, scriptores sacros, atque etiam alia quaedam in Christianam doctrinam euomeret, tulit praemium stultitiae et improbitatis. Nam Collegio Sidneyensi eiectus primum, in carcerem detrusus est. E quo, cum post anni spatium emitteretur, mulctam C. librarum Sterlingicarum homini irrogarunt ei, qui cognoscendi potestatem habuerunt. Vitam tamen honestam eundem gessisse, virtutem adamasse, et iniurias sibi illatas aequo animo tulisse, aiunt. Cuius memorabile exemplum narratur. Muliercula quaedam, *Woolstono* in agro obuiam facta, quo tandem modo, nequissimum tu silicernium, clamat, crucem, furcam, et patibulum adhuc euitasti? Cui *Woolstonus*, quid quaeso optima? respondet, quo ego te offendere potui, quam ne vidi quidem vnquam? Tum nonne tu, pessime, in Seruatorem nostrum impetum fecisti? vetula inquit. Libros tuos perniciosissimos, quam auide Iudaei exceperunt,

 et,

et, quae tu subministrasti, in nos tela emiserunt! Complures operam suam et studium ad *Woolstoni* errores refutandos contulerunt. E quibus nobis nominandi videntur prae reliquis, Io. Rayus, Pierre, Stebbinus, Episcopus de S. David, de S. Malbridge, et eruditissimus Sherlokius, cuius librum in Gallicum sermonem transtulit Moinius, et Hagae hoc titulo exscribendum curauit, *les Temoins de la resurrection de Jesus Christ examinés et jugés.* De vita hominis exposuit Anonymus in libro, *The life of M. Woolston*, qui tamen caute legendus. Consulat lector *Nouellas litterarias*, a. 1732. p. 721. seq. et *Acta Erudit. Lips.* 1733. p. 523. De allegorica vero interpretatione sacrae scripturae si quis cognoscere cupiat, legat velim *Ioh. Aug. Ernesti* libellum *de Origine interpretationis librorum S. S. Gramaticae auctore*, Lips. a. C. 1756. editum, qui, vt omnia viri doctissimi, nobisque amicissimi, copiose et eleganter scriptus est.

Praecipuas theses heterodoxas examinauit et castigauit b. Chr. Gottl. Ioecher in repetita disp. *de Woolstonii paralogismis in doctr. de miraculis Christi* Lips. 1730. et sqq.

LIII.

LIII.

MATTHAEVS PALMERIVS,[a]) vir prompta et copiosa eruditione instructus primis Friderici IIII. temporibus floruit. concilio Florentino interfuit, et variis modis ingenium et doctrinam testatus est. Edidit *libros IV. de Bello Pisano, et chronicon Prosperi* continuauit. Quibus vtinam libris acquievisset! Sed scripsit quoque carmen *de ciuitate vitae*, in quo animam, hac terrestri labe seiunctum, et corporis vinculis exutam, multa et varia loca[b]) peragrare, et tunc demum ad beatorum in coelo concilium peruenire docuit. Librum idem de Angelis scripsit, in quo falsas de his spiritibus opiniones quasdam proposuit. Quas cum ipse reuocare nollet, igne combustus est, vt testatur Vossius *de histor. Gr. et Lat. L. III. c. 7. p. 179.* Sunt tamen, qui Palmerium hunc splendido funere elatum, et librum *de ciuitate vitae* pectori impositum esse scribant.[c])

[a]) *Matthaeus* hic distinguendus est a *Iacobo Palmerio*, cuius honorificam mentionem facit Huetius *in comment. de reb, ad eum pertinent.* L. I. p. 70. Hic ad eruditos milites pertinet, acerri-

mosque calculi dolores litterarum ſtudiis leniit. De hoc *Palmerio* exponit Stollius *in den Nachricht. von ſeiner Biblioth.* P. III. p. 211. cf. *vitas virorum Clariſſim.* quae Vratislauiae prodierunt. p. 186.

b) Ad Manichaeorum errorem, atque etiam quorundam ethnicorum Philoſophorum ſententiam, qui animas circa ſepulchra vagari credebant, haec opinio accedere videtur. cf. Zornii *Biblioth. Exeg. antiqu.* p. 606. Saurin *Diſcours über die Bibel*, P. I. p. 846.

*) vid. quae Fabricius ex Leibnitii *ſcriptor. rer. Brunſu.* T. X. p. 424. *in Hiſtoria Biblioth. ſuae*, P. II. p. 485. monuit.

LIV.

IO. MICHAEL BRVTVS ſeculo XVI. floruit, variisque libris inclaruit. [a]) Praeſtantiſſimum illius ingenii opus *Hiſtoriam Florentinam* eſſe non falſo exiſtimant viri docti. Hanc Cl. Schelhornius inter libros publica auctoritate ſuppreſſos refert, in *Amoenit. Litter. T. II. p. 346.* ſic loquens: *Admodum rarum eſſe nemo facile ignorat Io. Mich. Bruti hiſtoriam Florentinam Lugduni a. 1562. in 4. excuſam, ex ea nimirum ratione, quod duces Florentini quotquot nanciſci potuerunt, eius exempla coemi curauerint. Magna enim animi*

mi fiducia, quotiescunque offertur occasio, auctor eorum partes tuetur, qui vt reipublicae libertatem sartam tectamque seruarent, omnem mouerunt lapidem, atque ita summo nisu Medicae prosapiae moliminibus obstiterunt. Insertus hic liber est rarissimus *Thesauro Antiquitat. et Historiar. Italiae* Tom. VIII. a. 1723. edito. Brutus vero, quoniam se hoc libro inuisum compluribus reddidit, vt insidias principum evitaret, totam per Europam vagatus est omnesque miserias pertulit. [b]) Quod exilium eodem animo pertulisse dicitur, quo M. Brutus, Iulii Caesaris sicarius, qui ad Ciceronem haec scripsit: *An tu Romae habitare id putas incolumem esse? res non locus oportet praestet illud mihi.* Magna vero vox et Romano digna!

[a]) De hoc Bruto memini *Ioh. Guil. Bergerum*, cuius solum nomen elogium est, in praelectionibus suis, sic dicere: Quia Machiauellus etiam conscripsit de rebus Florentinis octo libros, multi opinati sunt, vnum esse Brutum et Machiauellum; Brutum esse tantum nomen personatum. Sed falluntur. nam verum est nomen. Agunt quidem de eodem argumento, et VIII. vtriusque sunt libri, sed plane dissimili ratione scribendi. Machiauellus scripsit Italice, Brutus

 Latine,

Latine, et eleganter admodum. Plane videtur nitorem aliquem sequi excultum, ad elegantiam Iulii Caesaris, sed interpretatio Machiauelli est barbara saepe. quare cauendum de illo errore, et aliter sentiendum. Vtrumque tamen reddit historia inuisum.

b) Audiamus auctores *Actor. Erudit.* vernaculó sermone conscriptorum, P. XCV. p. 767. *Weil Brutus in dieser Schrifft die Wahrheit allzu derb gesagt, und denen Grossen zu Florenz nicht sattsam geschmeuchelt, so mag dieses wohl die Ursache seyn, warum er sein Vaterland verlassen, und die übrige Lebenszeit bey Hunger und Kummer als ein Exulant fast in ganz Europa herumwallen müssen.*

LV.

PETRVM ARETINVM ob libros satyricos, in quibus, quaecunque summi viri et principes, vel dicerent, vel facerent, perstrinxit, vulgo *flagellum principum* appellant. Ipse vero in corpore fustes et flagella nimium expertus est. Freherus enim illum, principum quorundam Italorum iussu, fustibus ad mortem vsque caesum esse, commemorat. Scripsit etiam, teste Bailio in *Diction.* T. I. p. 328. librum quendam nefarium, quem a caprarum lasciuia et libidine *capricium* inscripsit. Alia, quae ex peruerso

Aretini

Aretini ingenio profecta sunt, ex Genselii litteris in Atrio nouo librorum (*Neuer Büchersaal*) P. XVII. p. 324. afferuntur. Vbi etiam quatuor libros *de humanitate s. incarnatione Christi* scripsisse dicitur. In quibus de conceptione Mariae, beatae virginis, impie loquitur, et illam a Spiritu S. in auem transformato, grauidam fuisse dicit. Sunt qui ab hoc *Aretino* librum *de Tribus impostoribus* scriptum esse contendant. Verum et Monachius (*Msr. le Monnoi*) in eleganti libro, nunquam eiusmodi libellum fuisse, satis demonstrasse nobis videtur, et Grotius iam ante Aretinum natum de hoc libro rumores disseminatos fuisse scribit. Nos liberum cuique iudicium relinquimus, et hoc vnum addimus, *Aretinum* a multis regibus ac nobilibus viris dona accepisse, vt aliis parceret, alios acerbe perstringeret. Alii tamen, vt iam monuimus, proteruiam hominis fustibus coercuerunt, v. Tenzelii *Biblioth. curios.* T. I. p. 491. Tandem homo, qui omnia irridebat, omniumque risum captabat, si Laurentio Politiano fides habenda, risu exspirauit. Hic enim in dialogo de risu,

risu, p. 78. *infandas obscoenitates*, inquit, *cum de meretricibus, sororibus suis, audiret, ex risu sellam in qua sedebat, euertisse, occiputque vehementer grauiterque ad terram afflixisse, vt illico nequissime interiret, aiunt.* Ludouic. Morerus hasce in eum versiculos scriptos esse testatur,

Condit A*retini* cineres lapis iste sepultos,
Mortales atro qui sale perfricuit.
Intactus Deus est illi, causamque rogatus
Hanc dedit, ille, inquit, non mihi notus erat.

Quos tamen versus suppositiтos esse censet Bailius, qui in *Aretinum* verba Horatii, e L. II. ep. I.

- verere modum formidine fustis
Ad bene dicendum delectandumque redacti.

optime conuenire arbitratur. Nam post verbera animum ad sacros labores, et paraphrasin carminum poenitentialium Dauidis adiecisse dicitur. Est de hoc elegans in Menagianis carmen.

Si

Si ce livre unit le destin
De David et de l' Aretin,
Dans leur merveilleuse science,
Lecteur n'en sois pas empêché,
Qui paraphrase le peché
Paraphrase la penitence.

Homo fuit acuto ingenio praeditus, sed nullius frugi, et in omne voluptatum genus effusus. cf. Freherus in *theatr.* Spizelius *de litter infelic.* Bailius in *diction.* s. v. *Aretinus.* v. Seelen *in Select. liter.* p. 389.

LVI.

NICOLAVS BECKMANNVS, Heida apud Dithmarsos oriundus, in Lundinensi Scanorum Academia Antecessor, quoniam acerrimo erga virum summum, Sam. Pufendorfium, odio incensus, *) *iudicem nouitatum quorundam* in opere Pufendorfiano de I. N. et G. notatarum, a Iosua Schwarzio, Lundinensi itidem Theologo, suppresso tamen nomine editum, quibusdam in locis interpolauerat, et contra mandatum regium, Giessae Hassorum typis excudendum curauerat,

verat, munere priuatus et exilio punitus, eo tandem, desperatis rebus, adductus fuit nequitiae, vt repudiatis Lutheranorum sacris, ad pontificios se conferret. Qua quidem animi leuitate, et famae et salutis aeternae periculum adiit.

[a]) Apparet hoc non solum ex horrendis, quas fecit, minationibus, cum se Pufendorfium, nisi se missum faceret, μέσως et ἀμέσως, etiam cum dispendio salutis suae aeternae aggressurum fore, eadem, qua Pufendorfium ad certamen prouocauit, epistola scripsit, sed etiam ex nefario facinore, cum affinem suum, vt Pufendorfium cum vxore et liberis trucidaret, subornauit. v. Pufendorf. *epist. ad amicos super famoso Beckmanni libello.* p. 97. *in Erid. Scandic.* et in *specimin. Controuers. ex quibus citat* Ioh. Frid. Ludouic. *delineat. hist. iur.* nat. §. 1. p. 88.

LVII.

HIERONYMVS MAGIVS, Italus, historiarum, mathematum, aliarumque scientiarum peritissimus, a Venetis Famagustae iudex constitutus, et hac vrbe a Turcis occupata, captiuus in vrbem Constantinopolim adductus, duos libros, admodum praestantes, alterum *de equuleo*, alterum *de tintinnabulis*,

nabulis, fine omni fere fubfidio, in carcere compofuit, eosque oratoribus, Caefareo et Gallico, ad Portam Ottomannicam, dedicauit, fed infelici prorfus fato.[a]) Cum enim legati illi gratum declaraturi animum, fumma ope niterentur, vt captiuum e carcere liberarent, tantum abfuit, vt voti fierent compotes, vt potius mortem ipfi accelerarent. Re enim intellecta, carceris praefectus *Magium*, cum ad oratorem Caefareum iret, reduci ftatimque in carcere ftrangulari iuffit.[b])

[a]) Libros hos recenfet Io. Chrift. Wolfius in diff. *de carcere erudit. muf.* p. 36.

[b]) v. Vincent. Pararicin. in *Singular. de viris eruditione claris*, n. XV. p. 6. cf. Bail. *diction.* fub hoc nom. Teiffier *in eloges de Savans.* T. I. p. 355.

LVIII.

IONAS SCHLICHTINGIVS A BVCOWIETS, varia fcripfit, quae inferta funt Volum. V. *bibliothecae Fratrum Polonorum*, vt Commentarium in Euangelium Ioannis, in epiftolas ad Romanos, ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, aliosque facri codicis libros.

bros. In epiſtola ſiue praefatione praefixa Lubienicius de vita et morte *Schlichtingii* exponit, atque praeter alia ſcribit, illum maxima veneratione coluiſſe Grotium, eiusque ſententias ſaepenumero ſecutum eſſe. Fuit noſter Eques Polonus, et ſacerdos primum Racouienſis, deinde Luclauicienſis, at ob editam *Fidei Chriſtianae confeſſionem*, patria eiectus, obiit in Marchia Brandenburgica a. 1661. Magnifico ornatur elogio a Fratribus Polonis in epiſtola ad Senatum Claudiopolitanum, ſeque illius prudentiam et dexteritatem in adminiſtrandis eccleſiae negotiis compertam habere dicunt. conf. praeter Lubieniecium Arnold. *H. E. P.* II. p. 562. et Sand. *B. A.* p. 126.

LIX.

HERMANNVS DEVSINGIVS vitam priuatam muneri publico praetulit, variaque ſcripſit, quorum catalogum cum vita ſua Theodoro Haſaeo miſit, qui illum *Biblioth. Bremenſi, Claſſ. V.* p. 936. inſerendum curauit. Inclaruit praecipue *demonſtrationibus Allegoriae hiſtoricis*, ſ. *hiſtoriis allegoricis*

V. et N.

V. et N. Test., quibus tres dissertationes *de mysterio S. S. Triados* addidit.[a]) In quibus de Trinitate sic disputat: „Quemadmodum anima hominis ad imaginem Dei Trini condita, constat tribus distinctis facultatibus, intellectu, iudicio et voluntate, quae tres facultates vnam constituunt animam, ita essentiam Dei contineri hisce tribus subsistentiis, intellectu, cui propria sit conscientia et praescientia, iudicio, cui propria sit sapientia et veritas, et voluntate, cui competat potentia et charitas, eisque infinitis, quae tres subsistentiae vnam Dei essentiam absoluant.„ Haec omnia, an. 1690. ἀνωνύμως quidem euulgauit *Deusingius*, sed diu latere non potuit, vehementerque animos hominum in se concitauit. Audiamus ipsum Deusingium. „Foedissima in *Deusingium* coorta tempestas est, et non secus ac si omnia pariter elementa in eum conspirassent, quae non ante deseuire desiit, quam ei sacris esset interdictum, vsque dum, quod in publicum emiserat, publice reclamasset, quanquam sine vlla erroris demonstratione.„ v. *Bibl. Bremens. Cl. V. p. 933.* Proposuit sibi idem *Deusin-*

 gius

gius allegorice Sacram Scripturam explicare; sed non melius ei hoc consilium successit, quam omnibus, hanc qui viam eandem insuerunt. A. 1721. natus annos 86., obiit. v. *Fort-gef. Saml.* a. 1722. p. 1022.

a) Liber hic suppresso nomine a. 1690. primum prodiit, deinde auctus et illustratus sub Autoris nomine a. 1701. Franequerae lucem vidit. cf. *Act. Erudit.* a. 1702. p. 392. *Vnschuld Nachr.* a. 1710. p. 606.

LX.

GABRIEL ACOSTA [a]) Lusitanus, a parentibus pontificiis, iisque a Iudaeis ortis, natus, et a. XXV. aetatis Iudaeorum sacra amplexus, contra immortalitatem animi [b]) scripsit. Quo Iudaeorum animos adeo exacerbauit, vt per annos XIV. eiectus, tandem signis poenitentiae editis, et plagis XXXIX. acceptis, in societatem reciperetur. Scripsit idem *Exemplar vitae humanae*, quod post triste ipsius fatum ex Simonii schedis a Philippo Limborchio editum et *Amico Colloquio cum erudito Iudaeo* additum est. In quo praeter alia haec leguntur: „*Scio aduersarios meos, vt nomen meum*

meum coram indocta plebe dilanient, solitos esse dicere, hic nullam habet religionem, Iudaeus non est, non Christianus, non Mahometanus, Vide prius, Pharisaee, quid dicas. Coecus enim es, et licet malitia abundes, tamen sicut coecus impingis.„ Vitam hominis impiam non potuit non tristissimus exitus sequi. Inimicum enim quendam ianuam praetereuntem cum frustra globulo plumbeo emisso enecare tentasset, eodem telo a. 1640. se interfecit. [c])

[a]) De hoc *Acosta* confer. Wolfius in *Biblioth. Hebr.* P. I. p. 131. Molleri *Homonymoscop.* p. 784. Baili *Diction.* T. I. p. 68. Reiman *Einleit. in die Histor. der Theolog.* p. 615. Tenzel *Monatl. Vnterred.* 1698. p. 815. Ioh. Fabric. *Histor. Biblioth.* f. P. III. p. 400.

[b]) Liber de immortalitate animi, illi qui tam fatalis fuit, Hispanica lingua scriptus Amstelodami hoc titulo editus est: *Examen Traditionum pharisaicarum cum lege scripta contra animorum immortalitatem.* Hunc medicus quidam suasu Iudaeorum palam refutauit.

[c]) Pertinet igitur *Acosta* ad eruditos αὐτοχείρας, de quibus plura scripsit b. Kochius vir doctiss. cuius, in munere successor, cineres veneror, in *Miscell. Lipsiens.* T. II. p. 832. cf. *Act. Erudit. Lips.* 1688. p. 222. 1714. p. 447. 1716. p. 321. Cyprian. *dissert. Eccles. pent.* p. 93.

 Miscell.

Miscell. Lips. T. VI. p. 46. *Journ. des Sçav.* 1705. p. 86. et cl. Heumannus *in lib. de αὐτοχειρίᾳ Philosophorum*, *Ienae* 1703.

LXI.

IVLIVM CAESAREM VANINVM, Taurisano Neapolitanum [a]) ridiculum fuisse hominem vel ex eo intelligitur, quod nomen *Lucilii*, a patre acceptum, cum *Iulii Caesaris* nomine commutauit. Quod alii ideo fecisse dicunt, vt securius delitescere posset: alii eum insolenti gloriae auiditate adductum idem cum Romani imperii conditore nomen habere voluisse, non sine ratione contendunt. Romae et Patauii operam litteris dedit, vbi Petro Pomponatio praeceptore vsus est, quicum tamen in contemnenda Aristotelis Philosophia non conuenit, quem admiratus est adeo, vt illum, *Philosophorum deum*, *humanae sapientiae dictatorem*, *et sapientum pontificem maximum appellaret.* Cum praecipuas Europae partes peragrasset, Lugduni in Gallia substitit, ibique a. 1615. [b]) *Amphitheatrum aeternae prouidentiae diuinae magicum Christiano Physicum*, *nec non Astrologo-Catholicum* edidit, sequenti

ſequenti anno cum cenſura et priuilegio regis recuſum, c) quod poſtea primam illi Atheismi ſuſpicionem conflauit. Hanc vero multum auxit libro *de admirandis naturae reginae deaeque mortalium arcanis*, edito a. 1616. profanisque de Deo ſermonibus plane confirmauit. d) Coniectus igitur ab Inquiſitoribus Toloſanis in carcerem, et rogo impoſitus a. 1619. animam efflauit. e)

a) Tauriſanum patriam ſuam *nobiliſſimam et velut in orbis annulo gemmam* ipſe appellat Vaninus *de arcan. Nat. Dial. LVI.* p. 424.

b) In hoc libro non ſolum diuinam prouidentiam, ſed et animae noſtrae immortalitatem magno conatu, nouoque et accuratiori modo in ſpeciem defendit, recte tamen id agit, vt refutando doceat, et languida oppugnatione contrariam opinionem legentibus perſuadeat, tacitumque cum Atheis conſenſum haud obſcure prodat. Qui emunctioris paullo naris ſunt, haec facile animaduertunt, neque a ſcelerato homine ſibi imponi patiuntur. Non ex vno alteroque loco, vbi pie et ſobrie loqui videtur, diiudicandus eſt, ſed ex integris diligenterque examinatis ſcriptis, maxime vero ex blaſphemis, quae morti proximus effutiit, verbis Vanini de Deo ſententia melius intelligi poteſt. Mitius autem, quam par eſt, de Amphitheatro Vanini iudicat Morhofius, qui *ſanum* illud vocat, *in quo ſubtiliter de animi immortalitate diſputet.*

disputet. Polyb. T. I. p. 79. Rectius Neumannus hoc libro inquit, quum se aduersus Epicureos et Stoicos maxime pugnaturum in fronte promitteret, frigida tamen et imbecilli defensione bonae causae id egit, vt multo animosiores reddiderit aduersarios, et vel ipsammet πανοπλίαν Christianam ludibrio exposuerit, v. diss. de *Christ. Stoic.* p. 21. cf. de hoc libro diss. Ioh. Gottl. Lucii de *cohabitat. et conglorificat. fidel. c. Christ.* p. 25. *Nou. litter.* 1709. p. 39. *Journ. des Sçav.* a. 1718. P. I. p. 689. *Act. Erudit.* a. 1709. p. 260. 1713. p. 173. Park. *diss. I. de Deo*, p. 77. Dorn. *Biblioth. Theol. Critic. p. 507.* Voetii *disput. Select.* P. I. p. 134. de la Croze *Entretiens* p. 356. vbi plurima, quae ad vitam et mortem Vanini pertinent, commemorantur.

c) Inde Spenerus coniicit, virus libri tam occultum esse, vt etiam Theologos fugerit, *Consil. Theol. Posth.* P. I. p. 13.

d) In hoc libro demonstrare voluit, naturam, siue totum hoc vniuersum, omnium Deum esse. Licet enim lectoribus persuadere cupiat, se omnes fere Europae regiones ideo peragrasse, vt athéos omnes, vbicunque eos inuenire potuerit, debellaret, fucum tamen iis facit, ac maiori semper pondere hostium veritatis argumenta relata fulcit, quam suam ipsius ad ea relationem. Vbique suos quidem cum Atheis congressus memorat, et quanquam eorum rationes copiose et diligenter semper recitat, ea tamen est hominis impii modestia, vt, licet illos semper ad silentium redegerit, quibus tamen argu-

argumentis id praestiterit, ipse Bloat. cf. Samuel Parck. docti viri dissert. egregia *de Deo et prouidentia diuina*. p. 265.

e) leg. Grammondus testis classicus, qui omni negotio interfuit, et *in Hist. Gall. Lib. III. p. 2121 scribit:* Vidi ego in custodia, vidi in patibulo, videram antequam subiret vincula: flagitiosus in libertate et voluptatum auidus sectator, in carcere catholicus: in extremis omni philosophiae praesidio destitutus amens moritur. cf. Scherz *System.* p. 125. *Act. Erudit.* a. 1709. Mens. Ian. Ioh. Gottl. Olearii dissertat. duae; *de vita, fatis, scriptis et opinionibus I. C. Vanini* Ien. 1708. edit. et Io. Maur. Schrammii, libell. singularis *de vita et scriptis famosi Athei* I. C. Vanini, Custrin. 1709. editus. Atheismi suspicione eum liberare conantur Arnoldus; antiquum obtinens, *in Haeresiol.* L. XVI. c. 6. et anonymus, quem Arpium esse dicunt, quique hanc historiam pluribus se persecuturum esse promisit, in *Apolog. pro I. C. Vanino*, 1712. edit. qui Grammondi aliorumque scriptorum coaeuorum testimonia non nisi coniecturis et negationibus eludunt, quos confutauit *Croze* in l. c.

LXII.

Io. Mariana, Iesuitarum ordini adscriptus, maximo alias vir ingenio, a) variis libris, *historia* maxime *Hispanica* inclaruit. Edito vero libro *de mutatione monetae*, in quo, vt Bernardinus Giraldus

Patauinus scribit, fraudes et imposturae ministrorum regiorum monetas publicas adulterantium detegebantur, oscitatio et dormitatio Philippi III. regis Catholici perstringebatur, ingentia denique damna in Hispania vniuersa exoritura praenunciabantur, b) tantam regis indignationem excitauit, vt in carcerem coniiceretur. c) Quam poenam potius ob librum *de Rege ac Regis institutione* merebatur. d)

a) Hoc ipsi elogium tribuit Pope-Blount in *Censl. Cel. Auctor f. 614.* Hispanorum Liuius dicitur a Crenio in *Tom. II. Method.* p. 189. ex quo habet Arnd. in *Biblioth. politico-herald.* vbi Conringii iudicium affertur, cf. *Act. Erudit. Lips.* a. 1735. p. 342. et Bailius, (*lettres choif.* p. 499.)

b) v. *Schauplatz der gelehrt. Welt*, P. IV. p. 337.

c) v. Bail. in diction. sub *hoc nom.* et Nicol. Antonii *Bibliothec. scriptor. Hispanicor.* T. I. p. 560.

d) Ita iudicat Bail. in l. c. in isto libro doctrinam illam pestilentissimam Iesuitarum, Marianam vulgo, ab auctore sic dictam, de rege tyranno et haeretico, vel aperta vi, vel clandestinis consiliis, interficiendo proposuit, (v. *Act. Erudit.* a. 1731. p. 344.) qui Toleti, a. 1598. cum superiorum approbatione et regis priuilegio prodiit. Sed a. 1610. post parricidium Henrici

rici IV. regis Galliae, iussu curiae Parisiensis ante fores templi Cathedralis a carnifice exustus est. cf. *Thuan. continuat.* L. III. p. 86. Foedas doctrinas in isto libro propositas commemorat etiam Conring. *de Regn. Hispan.* cit. a Pope-Blount l. c. Refutatur a Georg. Horn. in dissert. *histor. et politic.* XVIII. *de Tyrannide*, p. 124.

LXIII.

Fuisse ISAACVM PEIRERIVM, Burdigallensem Gallum, Praeadamitarum caput, constat. Hic, cum Bruxellis principi Condeo ab epistolis esset, a. 1655. exercitationem super Epist. ad Rom. V. 12. 14. et Systema Theologicum ex Praeadamitarum hypothesi, [a]) tecto licet nomine, edidit, in quibus probare conatur, Iudaeorum originem ab Adamo descendentium, esse maxime diuersam ab ethnicorum origine, ex Praeadamitis oriundorum. Qui libri a. 1656. a carnifice palam sunt combusti, et auctor, in vincula coniectus, [b]) [c]) ope heri sui libertatem hac lege recuperauit, vt sententiam pariter ac religionem mutaret. Itaque Romam profectus ab Alexandro VII. Pontifice supplex veniam erroris petiit, et libro edito consilii sui rationem reddidit, errorem suum

 felicem

felicem praedicans, quia hac occasione ad ecclesiam Romanam esset adductus. Reliquum vitae tempus Parisiis inter fratres congregationis Oratorii contriuit, suamque opinionem vsque ad mortem clam defendit. d)

a) De auctore Praeadamitarum et eius refutatione auctores plerosque omnes recenset Cel. Fabricius *in Cod. Pseudepigr. V. T.* p. 51. Integros tit. libror. Peirerii extr. Grapius *in System. N. Contr. T. II.* p. 100. Olearius in *Synops. Contr.* p. 808. v. *Vnschuld. Nachricht.* a. 1703. p. 825. vbi exercitatio recensetur. Omnis vero conatus hoc fundamento nititur, quasi in Cap. III. Genes. alia creatio hominum, quam in C. I. commemoraretur. Ab Heumanno in dissert. *de fato vxoris Lothi* p. 26. Peirerius *histrionici cerebri homuncio* appellatur. Eundem Ioh. Fechtius in dissert. *de Praeadamitismi recens incrustati examine* p. 8. *contemtorem omnis religionis, vel Naturalistam vel Atheistum vocat*, vbi plura de erroribus Peirerii afferuntur. Quomodo factum sit, vt hunc errorem defenderet, narrat *Quenstedt Syst. P. I.* p. 514. Fabric. *Histor. Bibliotb. suae*, P. V. p. 258. et *Act. Erud. Suppl.* T. III. p. 388. Igni libro damnato, cum a Menagio de exemplo communicando appellaretur, dixisse fertur: *Parue, nec inuideo, sine me liber ibis in ignem* v. *Suit. de Menagian.* p. 39. et *Naudean.* p. 86. singularia de Peirerio dabunt *Act. Erudit.* a. 1737. p. 370. et Reiman.

Hist.

Hist. Litter. Antediluu. S. 2. p. 93. Schelhorn. *Amoen.* T. 8. p. 388.

b) c) Ipse *Peirerius* in epist. ad Philotim. p. 27. scribit: *inauspicato die Mens. Februar. 1656. irrumpunt in cubiculum meum, agmine et impetu facto, triginta homines armati, et extractum cubiculo et domo rapiunt per plateas, et per longos ciuitatis anfractus, sublimem raptum intrudunt in carcerem.*

d) v. Spizel. *in infel. litter.* p. 828. Bail. *diction.* sub hoc nomin. Kriegius in dissert. *de hamartigenia*, Ien. a. 1707. in qua et p. 66. errores Peirerii recenset et refutat, eumque ex animo retractasse religionemque mutasse negat. p. 73.

LXIV.

Virgilivs, episcopus Salisburgensis, ab alio *Virgilio*, libri de inuentoribus rerum auctore, probe distinguendus, in libro quodam Antipodes esse affirmauerat. Quod quidem Zachariam, II. Pontif. Roman. impulit, vt ad Vtilonem, Bauariae regem, sic scriberet: *Virgilium a templo dei et ecclesia depellito, sacerdotio in Concilio abdicato, si illam peruersam doctrinam fuerit confessus.* Acerba vero vox! Romani quidem summa ope nituntur, vt pontificem defen-

defendant. Nam et Baronius, et Iosephus Mezgerus *in historia Salisburgensi* p. 192. *Virgilium* alios homines a nobis diuersos in alio mundo viuere docuisse, atque adeo nouam, inauditam, et Christianae doctrinae valde periculosam opinionem protulisse, dicunt. Auctores vero *diarii Triuoltinensis*, (a. 1708. Ian. p. 130. et Febr. p. 299.) *Virgilium* a Zacharia damnatum esse, negant, inter Antipodes Mathematicos et Physicos distinguunt, (hanc enim per distinctiones se expediundi viam ineunt vulgo homines, si omnem aliam defendendi rei rationem praecisam esse vident,) *Virgiliumque* non illos sed hos docuisse aiunt. Alias etiam putant non iniuria illum a Pontifice condemnatum fuisse. Cuius tamen, opinamur, cogitanti, quam inuisae semper fuerint Romanis nouae opiniones, quid de tota re sentiendum sit, facile apparebit. *)

*) v. Voetii *disput. select. T. I.* p. 645. Auentin. in *Annal.* Boior. L. III. *Bibl. Hallens.* T. III. p. 136.

LXV.

LXV.

Dicitur a multis BARTHOLOMAEVS CARANZA, Epiſcopus Toletanus, ob Cathechismum, qui, a. 1558. Hiſpanico ſermone conſcriptus, Antuerpiae hoc titulo prodiit: *Commentarios etc. ſobre et Catechismo Chriſtiano diuididos en quatro partes las quales contienen todo loque profeſſamor en el ſancto baptismo, como ſe vera en la plana ſeguiente dirigidos al ſereniſſimo Roy de España*, et quem Gregorius XIII. a. 1576. in indicem librorum prohibitorum retulit, hunc igitur ob librum in carcerem detruſus ibi per annos XVII. delituiſſe dicitur. Tandem a Gregorio hac poena affectus eſt, vt articulos quosdam eiuraret, et per annos V. munere exueretur. Quod eum opinor non aegre tuliſſe, quoniam ſingulis menſibus M. aureos numos ad vitam tolerandam accepit. v. *Vnſchuldig. Nachricht.* a. 1713. p. 30. Sunt tamen, qui aliter ſentiant. Varillaſius quidem, in *hiſtoria reuolutionum Europae ob religionem*, Philippum II. Hiſpaniae regem, per id tempus, quo *Caranza* in carcere fuiſſet, opimis Archiepiſcopatus

redi-

reditibus ad haereticos in Belgio opprimendos vsum esse, eorumque summam non multum ab octo Millionibus abfuisse commemorat, atque hanc veram omnis infortunii causam esse arbitratur. In scriptoribus vero ordinis praedicatorum recensitis, (T. II. p. 242.) aliae causae afferuntur; ne Toletanus episcopus magis apud regem, quam reliqui gratia valeret, quod ditissimo amplissimoque Hispaniae beneficio potitus sit, et summi Inquisitoris munus ambierit, inde aemulationem, inuidiam, et odium esse ortum, nullumque insidiarum prius, quam depresso *Caranza* fuisse finem. Quorum sententia verior sit, acutiores iudicent! Vtraque certe pars magnis se auctoritatibus tuetur.

LXVI.

SAMVEL CLARKIVS, alias vir magno et acuto ingenio, atque gustu elegantiae vetustatisque priscae praeditus, a. 1712. in lucem emisit huncce librum: *The Scriptures Doctrine of the Trinity.* [a]) In quo praecipuos de Trinitate errores affert; esse vnam

vnam tantum personam, quae pro Deo habenda sit, nempe patrem, cuius essentia aliis cum personis communicari nequeat; filium esse personam diuersae essentiae diuinae, cui nihil praeter independentiam desit; Spiritum sanctum neque Deum appellandum neque adorandum esse, vt alia taceamus. Quare non solum Ioh. Eduardus, Will. Lommerus et Eduard. Wells contra *Clarkium* scripserunt, eumque confutarunt, sed ipse *Clarkius* muneribus, quae adhuc gesserat, a. 1714. re diu in Parlamento agitata, exutus est. [b])

[a]) De hoc libro vid. Pfaff. *Hist. litter.* P. I. p. 256. *Journal. litter.* T. IV. p. 210. T. I. p. 264. *Vnschuld. Nachr.* a. 1713. p. 237.

[b]) De vita Clarkii vid. Vnschuld. Nachr. 1714. p. 839. *Büchers.* T. 4. p. 69. et Whistonius in *commentariis historicis de vita Clarkii.* cf. etiam *Act. Erudit.* a. 1731. p. 363.

LXVII.

PETRVS GIANNONIVS Tomis IV. regni Neapolitani historiam complexus est. Maximas vero cum hoc libro sibi inimicitias conflasset, Venetias se contulit, sperans fore, vt ibi saluus et incolumis viueret.

ret. Quae ſpes illum vehementer fefellit. Acerbiſſimi enim aduerſarii, atque etiam praepotentes, eo tandem rem deduxerunt, vt *Giannonius* e republica Veneta eiiceretur. Milanum deinde, et demum Geneuam ſe recepit. In qua vrbe cum ſe tutum ſatis arbitraretur, animum ad Tomum V. ſcribendum, atque adeo inchoatum opus perficiendum, adiecit. Duobus vero menſibus interiectis a nobili quodam viro, magnam qui amicitiam ſimulabat, in praedium, in finibus Sabaudiae ſitum, inuitatur. Quo cum veniſſet, regis Sabaudiae iuſſu in vincula coniectus Romam captiuus ducitur. v. *Relat. Nou. litterar. Lipſienſ.* a. 1736. p. 369. Meliori fortuna dignus videtur hic vir collectoribus *Actor. Eruditor. Lipſienſium*, qui probum animi candorem, fidem incorruptam, et ſtrenuam veritatis conſectationem ipſi tribuunt. v. *l. c. a. 1732. p. 458.*

LXVIII.

MICHAEL MOLINOS, diſtinguendus a *Molino*, Ieſuita Hiſpanico, ex familia Pelagianorum, dux quidem et auctor

Quieti-

Quietistarum, sed teste Ioh. Andr. Schmidio, *in decade differt. histor. Theolog.* p. 134. prudens fuit vir, moresque ad omnem honestatem composuit. Edidit a. 1685. *manuductionem spiritualem*, qui liber ex Italico translatus in Latinum sermonem vna cum alio *de quotidiana communione* a. 1687. exscriptus est, atque hoc titulo innotuit; *Manuductio spiritualis, extricans animam, eamque per viam interiorem ad acquirendam contemplationis perfectionem, divitemque internae pacis thesaurum deducens.* Prodiit vero in publicum commendationibus Martini Ybannez, Archiepiscopi Regii Calabriae, Francisci Mariae de Bononia, Generalis ordinis S. Francisci, aliorumque Romanae ecclesiae Theologorum munitus. Hic liber *Molino* fores ad amicitiam et fauorem cum Estraei, Cardinalis, tum ipsius Pontificis patefecit. Adeunt non multo post tribunal inquisitionis patres a Societate Iesu cum Dominicanis, quorum commodis valde exitiosus hic liber videbatur, et, vt *Molinos* de libro accurate et diligenter cognoscant iudices, postulant. *Molinus* optime suam caussam agit; librum

librum ab aduersariorum calumniis defendit, et, vt iterum, a tribunali inquisitionis comprobatus, edatur, efficit. Aduersarii, quorum furor non sopitus, sed magis accensus est, *Molino* Iudaismum, Mahumedanismum, et nescio quem Ismum, crimini dant; nihil efficiunt, suae vero societati magnum imminere discrimen vident. Adeunt igitur Christianissimi Regis confessorem, patrem *de la Chaise*, rem exponunt, opem ab illo petunt. Hic, vt magna auctoritate, et summa gratia regis floret, tandem efficit, vt ad Estraeum, cardinalem, mandata mittantur, in quibus rex se aegre ferre testatur, quod doctrinam, quam e suo regno penitus exstirpare cupiat, Pontifex in suis aedibus inualescere patiatur, immo de *Molino* vt diligentius cognoscatur, imperat. Praefert Estraeus regis voluntatem priuatae amicitiae. *Molinus* a. 168[illegible] in ius rapitur, a. 1687. iudicium, quod iudices inquisitionis tulerant de illo, promulgatur. Ducitur *Molinus* veste sacerdotali viridissima indutus hilari vultu ad templum Minervae. Ibi vinctus manibusque cereum tenens imperterrito et

forti animo ſententiam, quam duo monachi alta voce pronunciabant, audit. Articulos LXVIII. eiurare cogitur, et in perpetuum carcerem detruditur. Carceris ſqualorem generoſo animo perfert, ſe in ſeceſſum nunc ſuum abire ait, et ſacerdotem, vna ambulantem, ita alloquitur: *Vale mi pater, videbimus nos iterum die iudicii, et tunc manifeſtum fiet, a cuius partibus, mea an veſtra, veritas ſteterit.* v. Bailii *Nouvell. de la Republ. des lettres*, 1687. P. II. p. 1342. Tale iudicium de *Molino* tuliſſe Pontificem non valde mirum videri debet. Nam, quae ſcripſerat, non poterant non pontificiae religionis fundamenta euertere. *) In carcere vſque ad a. 1696. vixit, quo demum liberatus, ſententiam mutaſſe dicitur. A multis hic *Molinus* maximis laudibus ornatur. Nos in iudicio Sonntagii acquieſcimus: *Oſtendimus quietem animae et pacem interiorem a Molino confictam, vocari poſſe ens rationis, quod tantum eſt obiectiue in Intellectu. Cumque adeo iſtud otium mentis ipſi etiam poenitentiae officiat, et hominem motibus contritionis et fidei ſuperiorem fieri poſſe ſupponat, id-*

 circo

circo malo potius, quam bono spiritu istud provenisse opinor, v. illius vocabul. psuedo - mysticum, p. 52. b).

a) vid. Camp. Vitringae *Typus theolog. practicae*, Franequ. 1716. cognouit hoc quoque auctor collectaneorum de Quietismo, (*Recueil de diverses pieces concernant le Quietisme.*) cf. *Acta Eruditor.* a. 1687. p. 429.

b) Plura de *Molino* dabunt, Burnerius in *epistol. I. de praesenti statu Italiae*, Col. 1688. Ioh. Wolfg. Iaegerus *in exam. Quietism.* Tubing. 1715. Ioh. Frid. Mayer. dissert. *de Quietistarum persecutionibus*, Hamburg. 1688. Thomasius *in den freymüthigen Gedancken*, p. 1109.

LXIX.

CASPAR PEVCERVS medicinae in Academia Vitebergensi doctor, post editos aliquot libros theologicos, a) in quibus Caluinismum incrustare studuit, et varia rerum nouarum molimina, b) Rochlizii, Cizae, et Lipsiae denique in carcere per decem annos retentus fuit, c) auctoritate, felicitate et gratia excidit, qua apud Augustum, principem electorem plurimum valuit, d) suoque exemplo docuit, aduersa plerumque fata eos experiri, qui negotiis, ab officio

alienis,

alienis, maxime ad religionem pertinentibus, sese immisceant. [e]) Tandem a. 1586. Ioachimo Ernesto, principe Anhaltino, cuius filiam Agnetam Hedwigam Augustus eo anno in matrimonium ducebat, carcere dimissus est.

[a]) Tales fuisse ex multorum suspicione Catechesin Vitembergensem, librum, cui inscriptio fuit στερέωμα, Germ. *Grundfeste*, scribit Adami *in vit. Medicor.* p. 379. cf. Freher. *in theatr. clar. vir.* f. 1312.

[b]) Quantopere nisus sit, vt in scholam Portensem catechesis Vitebergensis introduceretur, et quantum illam Baldusio, Rectori, commendauerit, denique quam friuole primum rem negauerit, deinde manum abiurauerit propriam, docet Cel. *Am-Ende in memor. Inspector. Portens.* p. 35. Quare et *der Calvinisten Drommelschläger* appellatur in *Secret.* T. I. p. 463. cf. *Vnschuld. Nachr.* a. 1729. p. 622.

[c]) v. Wolfii disput. de carcer. erudit. mus. p. 41. et historia carceris Peuceri, quam ipse composuit. cf. *Act. Erudit.* T. VI. *Suppl.* p. 41. et *Act. Erudit.* vernaculo sermone script. T. V. p. 851.

[d]) Quanta apud Electorem gratia floruerit, copiose exponunt Adami et Frehetus, in l. c. quorum ille, fortuna Peuceri nihil splendidius visum, nec felicitati illius quicquam defuisse scribit. p. 378.

e) Sic

*) Sic probe judicat Reinhard in *animadv. ad Politic. Lipſ. ſ. Theatr. prud. elegant.* L. III. c. 5. n. 11. p. 789. vbi Auguſtus dixiſſe fertur. *Peucerus ſolle ſeiner Arzeney warten, und das Harn-Glaſs beſehen, und der Theologiſchen Sachen müſsig gehen.*

LXX.

POLYCARPVS LYSERVS, magni nominis, nec minoris doctrinae Theologus, primus omnium in Saxonia d. 26. Iun. a. 1577. Formulae Concordiae ſubſcripſit, quem deinde non Theologi tantum Vitebergenſes, ſed reliqui quoque ſacerdotes ſecuti ſunt. Inſignis hic et nunquam ſatis laudandus Theologus rogatu Nobilium in ducatu Aſcaniae, a. 1590. ſententiam de Exorciſmo in libro hoc titulo edito: *Bedencken von Abſchaffung des Exorciſmi*, a. 1591. propoſuit, et defendit. Quo de libro Cel. Langemack in *P. II. hiſtor. Catechet. c. IV.* haec memoriae prodidit: *Es machte aber dis Bedencken dem guten* Lyſero *nicht wenig Sorge und Verdruſs, maſsen der Fürſt von Anhalt desshalben im folgenden 1591. Jahr d. 20. Febr. an den Rath nach Braunſchweig ſchrieb,*

und

und sich über den Superintendenten beschwehrte, deswegen die Crypto-Calvinisten, deren nicht wenige auch in dieser Stadt waren, als der Syndicus D. Marcus, Ihm hefftig zusetzten. Atque etiam beat. Gleichius in *P. II. Annal. Ecclesiast.* p. 545. Crypto-caluinianos huic libro alium opposuisse commemorat, et in *Examine Examinis Pieriani*, p. 180. legimus, in tabernis cereuisiariis horum assectas Theologum traduxisse. Immotus vero *Lyserus* perstitit, famamque sequenti libello defendit: *Rettung der Ehren und Unschuld D. Polyc. Leysers, Churf. Sächs. Hoffpredigers, welchen die vermummeten, verkapten und unbenannte des D. Nic. Crells Freunde des Aufruhr, turbatae pacis publicae, und anderen Unfugs, iedoch* (Gottlob!) *mit Unwarheit, und höchster Ungebühr beschuldiget haben. Leipz. 1608.* Quem librum, non vbiuis obuium Tenzelius *Bibliothecae Curiosae* a. 1705. p. 682. totum inseruit, dignum, qui ab omnibus legatur. Manes beati viri Bailius, vt erat hominis ingenium, grauiter laesit. Qui non tantum falsa multa attulit, sed inique saepius de viro pio et docto iudicauit. Sed

suscepit proaui sui defensionem Polyc. Lyserus in praefat. *praelection. Lyseri senioris in prophetas minores*, edit. a. 1709. cf. Gleichius, in l. c. et Zeibichius in lib. *de Theologis ad tempus commodatis*, p. 63. et Cel. *Am-Ende in Memor. Inspector. Portens.* p. 19. (o).

LXXI.

IORDANVS BRVNVS, monachis dominicanis adscriptus, *multum ille et terris iactatus et alto*, totamque Europam peruagatus, Parisiis, Londini, et alibi litteras docuit. De *innumerabilibus, immenso, et infigurabili, s. de vniuerso et mundis* a. 1591. libros octo edidit, in quibus plures esse mundos demonstrare, Deum vero in Circulum et in puncta conuertere voluit. Idem, vt alios febriculosi hominis libros taceamus, *de bestia triumphante* scripsit. In quo non tantum in Romanorum scelera acerrime inuehitur, sed cultum Dei etiam, omnemque de Deo doctrinam maximis conuiciis proscindit. Quid enim esse dicamus, quod Mosen magicae artis ope miracula fecisse, sacros vero libros mera esse somnia scripsit? Quid

Quid quod in Christum saepius suae improbitatis virus euomuit, cuius imaginem, cum a. 1600. d. IX. Febr. Romae igne combureretur, toruo vultu primum adspexisse, deinde abiecisse dicitur. Vtrum diabolum peculiari oratione laudauerit, vt Spizelius et Keckermannus narrant, et an hoc monachorum commentum sit, alii iudicent. Mirati vero sumus saepe ac vehementer, quid sit, quod doctissimus *Heumannus* hominem, qui, teste Buddeo, (in *thes. de Atheism. et superstit. c. 1.* p. 114.) absona multa et blasphema adstruxit, in *Act. Philos.* P. III. p. 504. multo studio defendat, inter martyres Christianos, et testes veritatis referat, immo, quod magis mirandum, virum sanctum in P. IX. p. 390. appellat. Operae pretium erit verba viri clarissimi adscribere: *Ich bedaure billig, dass dieser heilige Mann von denen Protestanten selbst aus Unvorsichtigkeit in den Catalogum Atheorum gebracht worden, da er doch in den Catalogum martyrum gehöret, und ietzt mit allen denen, die um der Lehre Christi willen ihr Leben gelassen haben, der ewigen Herrlichkeit geniesset.* Veremur profecto, ne amor

 quidam

quidam nimius sui ingenii, et noua profe-
rendi cupiditas longius virum de bonis lit-
teris optime meritum abripuerit, quam fieri
debebat. Nos quidem vltima certe verba
nunquam posuissemus. Tolandum autem
ab Heumanno non dissentire nemini mirum
videbitur, qui ingenium hominis nouerit.
Quare ea, quae Scioppius ad Ritterhusium
de vita, libris, et fatis Bruni scripsit, tan-
quam calumnias et mendacia reiicit. vid.
collect. oper. eiusd. Londini, a. 1726. editam.
Propius accedunt ad veritatis similitudinem
Crozius, (*entretiens sur diuers suiets*, p. 294.
314. 325.) et Struuius in *Actis litter. ex MSC.
erutis*, Fasc. V. T. I. p. 64. cf. Bailius in *diction.
Critic.* s. verb. *Brunus*.

LXXII.

VRBANVS GRANDIERIVS, Paro-
chus et Canonicus Laudunensis, post-
eaquam libelli cuiusdam aduersus Riche-
lium auctor fuerat delatus, in tantum viri
nobilissimi odium incidit, vt magiae falso
accusatus vna cum scriptis et characteribus
magicis, ipsi suppositis, itemque cum libro,
manu

manu exarato, *contra coelibatum clericorum*, igni concremandus traderetur.[a])

[a]) Liber hic fuit *La cordonniere de Loudun.* v. *histoire des diables des Loudun*, Amstelod. a. 1693. in 12. cuius conuersio Germanica prodiit Halae, a. 1704. cf. Bail. *diction. Il. etoit bel homme, agreable dans la conversation, propre en ses habits et en sa personne, ce qui le fit soupçonner, d' etre aimé des femmes et de les aimer.* Cum rogum ascenderet, magno susurro musca caput illius circumuolitauit. Quare monachus, qui forte audiuerat, esse Beelzebub in lingua Hebraica regem muscarum, Diabolum adesse dixit, animamque *Grandierii* secum auferre velle.

LXXIII.

ROBERTO STEPHANO, viro et ingenio, et doctrina et arte typographica insigni, idem prope, quod *Io. Lufftio*, contigit. Nam cum Sacram Scripturam sic edidisset, vt simul textum Hebraeum, versionem graecam, et latinam exhiberet, atque etiam notas quasdam adderet, quas, licet titulus Francisci Vatabli nomen prae se ferat, Stephani esse ex Vatabli praelectionibus auctas, Arnoldus Bootius *in indice animaduersionum sacrarum* obseruat, tantam sibi

inui-

inuidiam parauit, vt solum mutare, et Geneuam abire cogeretur. Absens vero flammis Lutetiae traditus esse fertur. [a]) Quod tamen parum curauit. Notum est enim, dixisse *Stephanum*, se non magis riguisse, quam cum Parisiis exustulatus esset. Commorabatur enim eo tempore in niuosis Auerniae montibus. [b])

[a]) Idem fatum expertus est Lutherus, si Bernardo Luxenburgensi monacho fides habenda. Hic in *L. V. catalog. haeretic.* Paris. a. 1624. edit. *erecta fuit*, inquit, *machina: ab vna parte depictus fuit Martinus in habitu monachi, ab altera parte fuit scriptum in tabellis:* Martini Lutheri Haeresiarchae doctrina haeretica declarata, et reprobata, *et passim libri eius fuerunt affixi.* cf. Struuii dissert. *de executione in effigie*, et Ioh. Christ. Leschke *de suppliciis imaginariis.*

[b]) Tollius in libr. *de infelicitate litterat.* p. 482. in *Analect. Mencken. de calamitat. litterator.* hoc *Henrico* Stephano ob Apologiam pro Herodoto accidisse narrat. Ex quo etiam recenset *Paravicin.* c. 1. p. 140. vbi de *Henrico* dubitare dicitur Ameloueenius. Neutri Stephanorum hoc contigisse demonstrare conatur, *Ioh. Adam. Bernhard in der curieusen Historie der Gelehrt.* L. III. f. V. c. 7. p. 422. Vtrique hoc contigisse, existimat *Clarm.* f. *Rudigerus in vitis Stephanorum*, quae habentur in *part. VIII.* n. VI. et VII. *Greg. Michaelis* in notis *ad Gaffarelli*

Curios.

Curiosf. inaudit. N. 20. p. 110. Robertum ob Apologiam Herodoteam talia perpessum esse scribit. Quem refutat Mich. Maittaire *in Historia Stephanor.* T. I. cf. *Memoir. de litterature,* T. I. p. 40. Robertum Stephanum a Tollio improuide confusum esse cum Henrico, asserit quoque auctor *Historiae Stephanorum*, *Londini*, a. 1709. edit. Indefessum Roberti de bonis litteris bene merendi studium laudat Fabricius *in Biblioth. Graeca* Vol. XIII. p. 614. qui et Stephanorum Genealogiam et stirpem p. 615. exhibet. Quod etiam Maittaire fecerat, cf. *Act. Erud. Lips.* T. V. Suppl. p. 505. De Stephani huius vita, praeter viros modo laudatos, consulantur, Theod. Ians. ab Almelouen in dissert. epistolic. ad Graeuium *de vitis Stephanorum*, Amstelod. a. 1683. *Journal. litter.* T. VII. p. 61. et Korthold. *de variis script. editionibus.* p. 388.

LXXIV.

GERHARD IOANNES VOSSIVS inter alia ingenii monimenta *Historiam Pelagianam* [a]) edidit, quae, primum separatim edita, etiam in operibus iunctim editis, Tom. VI. p. 543. occurrit. Hac doctorum maximas laudes et commune reip. eruditae praeconium accepit. Iacobus quidem Sirmondus, vir doctus, nullam controuersiam hoc seculo maiori iudicio magisque ex vero tracta-

tractatam esse fatetur, quam Palagianam in hoc libro. Ioh. Christoph. Dornius in *Lib. III. Biblioth. Theolog. Critic.* c. 8. p. 473. existimat, *Vossium* in hoc argumenti genere non solum glaciem aliis fregisse, sed et ceteros, qui eum secuti, longis superasse internallis. Hugo vero Grotius historiam hanc ab omnibus magni aestimatam esse Parisiis testatur *Epist. LIII.* Nihilominus tamen historia haec Pelagiana *Vossio* admodum fatalis extitit, multorumque animos concitauit, quo factum est, vt MM thaleris mulctaretur. v. Epistol. [b]) ipsius a. 1690. Londini in fol. editas. Huc enim illa in Epist. XXIV. Spectant: *Neque enim satis videtur multis, si mea a facultate Theologica approbentur prius, quam edantur, sed malunt in totum me scriptione eiusmodi abstinere, idque ne plus auctoritatis accedat operi historiae meae, quod aeternae obliuioni sepultum vellent.* In laudando *Vossio* multi Eruditi certamen quasi susceperunt. A Prettenio enim magnum eruditionis lumen, [c]) a Bockelmanno [d]) vir in historia philosophica versatissimus, a Carpzouio accuratissimus Criticus appel-

appellatur. [e]) A Sagittario [f]) verò ob moderationem et pacis ſtudium valde laudatur. Bibliothecam habuit ſplendidiſſimam, et XXIVM thaleris aeſtimatam. v. *Sorberiana*, p. 229. Multorum praeterea liberorum, et in his Dyoniſii [g]) et Iſaaci [h]) Voſſiorum erat pater, quos ex iteratis nuptiis ſuſcepit. Quare Grotius ſaepe per iocum dixit, ſe dubitare, ſcriberetne accuratius, an gigneret felicius? Vberiora de *Voſſio* illiusque fatis vid. in Reimanni *hiſtor. litter. German.* L. II. Sect. III. p. 298. Fabric. *hiſtor. biblioth. ſuae*, P. II. p. 214. Tenzelii *colloqu. menſtr.* a. 1690. p. 610. et Wittenii *memor. philoſophor*, P. II. p. 96.

[a]) Plures auctores, qui hiſtoriam pelagianam conſiderunt laudat Dornius *in hiſtor. Theol. Critic.* P. I. p. 472. quicum confer. Ioh. Frickii *Zoſimum in Clemente XI. rediuiuum*, c. I. p. 3. et I. Iac. Hottingeri *Fata doctrinae de praedeſtinat. et gratia dei.* L. I. c. I.

[b]) Epiſtolas Voſſii hinc inde ſparſas et in variis bibliothecis latentes magno ſtudio Paulus Colomeſius collegit, et a. 1690. Londini in fol. edidit, v. *Act. Erudit.* a. 1690. p. 575. et Tenzelii *colloqu. menſtr.* a. 1690. p. 609. Caetera Voſſii opera in Tom. VI. Amſtelodami in fol. ſunt edita. v. *Act. Erudit.* a. 1703. p. 145.

[c]) *de ſiglis et notis antiqu.* p. 43.

d) *diſp.*

d) *diſſ. I. de Salomon. a Scepticiſm. vindic. contra obſeru. Halenſ.* §. 7.

e) *diſſertat. Academ.* p. 1369.

f) *praefat. in Harmon. Paſſion. Chriſt.*

g) de Dionyſio praematuro fato litteris erepto v. Fabric. *Hiſtor. Bibl. ſuae*, P. V. p. 339. et Stollii *Biblioth.* P. III. p. 285.

h) Iſaacus famoſo Beuerlando famulo vſus eſt, et multam in ſuſpicionem venit, librum *de peccato originis* a ſe conſcriptum eſſe. v. Tentzel. l. c. a. 1693. p. 169. Inter libros illius eminet diſſertat. de LXX. Interpretibus, de oraculis Sibyllinis, et Commentarius in Catullum. Bibliothecam illius ſplendidam et copioſam ſuae inſeruit Academia Leydenſis. cf. Bailius *lettr. choiſ.* p. 302. et. *Act. Erud.* german. T. III. p. 58.

LXXV.

Legitur a multis atque in deliciis habetur liber ab HENRICO MVLLERO, profeſſore Roſtockienſi, hoc ſub titulo editus *Geiſtliche Erquickungen.* Eſt enim non magis pie, quam eleganter ſcriptus. Quare magna eius erat et praeclara fama, obque eam in eo erat, vt Hamburgi illi munus ſacrum deferretur. Sed, cum in alio libro, *Apoſtoliſche Schluſskette*, Dom. X. p. Trin. p. m. 271. his verbis vſus eſſet: *auch hat die heutige Chriſtenheit vier ſtumme Kirchengötzen,*

tzen, denen sie nachgebet, den Tauffstein, Predigtstuhl, Beichtstuhl, Altar, [a]) in suspicionem, nescio quam, incidit, atque eo munere exclusus est. Quare etiam ad multos Theologos scripsit, vt, quid sentirent, dicerent, postulauit, eorumque iudicia, libro, supra laudato, adiunxit. [b])

a) Ipsa haec verba, si recte examines, minime sunt damnanda, quanquam Kuhlmannus, homo mente captus, inde probare posse sibi visus est, *Mullerum* cum Boehmio amice conspirare. Contra quae defenditur in diss. Ioh. Adam. Calonis de *historia Iac. Boehmii*, Vitemb. 1707. c. 4. §. 10. et in diss. b. Wernsdorfii *de Fanaticis Silesiorum*, Vitemb. a. 1713. §. 28.

b) v. Neumeisteri *Geistliche Bibliothec*, p. 615. Elogium viri pii dabit Engelscall *heil. Betrachtung*. P. III. p. 512. Vehementer errat Crenius, qui in P. XVI. *animaduers. philolog. et histor.* p. 78. scribit, illum pabulo inimicorum nostrorum corrumpendum fuisse facile, si quis obtulisset modo.

LXXVI.

LVDOVICVS ELIAS DVPINIVS, doctor Sorbonicus, historiae ecclesiasticae diligentissimus inuestigator et felicissimus, in libro *de antiqua Ecclesiae disciplina*

libertatem Gallicanae ecclesiae maximopere defendit. Quo Pontificiis adeo infestus est factus, vt tandem, muneribus suis priuatus, in exilium pelleretur. [a])

[a]) De hoc *Dupinio* Cel. Schurzfleischius in colleg. litter. a. 1701. habito, ita indicauit: „Vim ingenii praestantiamque iudicii, nec minorem industriam testatam fecit, praesertim in historia eccles. vbi opera eius egregia fuit, pretiumque inuenit, adeo, vt ab ipsismet Gallis Natali Alexandro praeferatur. Ecclesiae coetum vniuersae et Romanae ingenue distinxit, ac de Pontificis potestate nimia detraxit rationibus et argumentis, ex diuino Codice Patrumque suffragio, desumtis. Claues Petro datas concedit, non tanquam vni homini, sed tanquam totius ecclesiae personam sustinenti. Quo fundamento substructo, Pontificis Romani auctoritas est certis finibus circumscripta, nec potestas ciuilis pontificum censuris obnoxia, neque vlla ratione ab imperio Sacro dependens, aut quoquo modo ei deuincta atque innexa. Ita concidit monarchia pontificis, pro qua propugnarunt tantopere Pontifici scriptores, legendae sunt eam in rem dissertationes *de antiqua ecclesiae disciplina.* Multa eius lectio variaque doctrina cernitur etiam in *Noua Bibliotheca Auctorum Ecclesiasticorum*, quae viri diligentiam probat, interdum nomina eorum praeterit, quos par fuerat laudare. Ordo ceteroquin modusque scribendi perspicuus et facilis est, quo auctor is vtitur, multa tamen vulgaria admiscet, Graece doctus,

sed

sed infra Critices acumen. De vita sua ipse Dupinius exposuit in *Nou. Bibliothec. Scriptorum ecclesiast.* T. XIX. cf. *Deutsche Act. Erud.* T. VII. p. 600. de *Nouvell. Bibliotheque* iudicat Dornius in *Biblioth. Theol. Critic.* p. 37. 110. Fabric. *Hist. Bibl.* s. P. IV. p. 4. *Act. Erudit.* a. 1693. p. 77. et Pfaffii *hist. litt.* P. I. p. 50.

LXXVII.

IO. CHRISTOPH. RÜDIGER, alias *Clarmundus*, *vitis clarissimorum in re litteraria virorum scriptis*, innotuit. In his de fatis et libris illorum exponit, multaque non iniucunda lectu profert, licet grauissimis subinde erroribus commissis. Enarrauit vero in Parte IX. harum vitarum *Samuel. Bened. Carpzouii*, alterius seculi nostri Chrysostomi, vitam. Vbi cum p. 157. 163-170. multa scriberet indigna tanti Theologi fama et honoribus, et silentio quae tegi debebant, inique hoc tulerunt filii cognatique *Carpzouii*, et rem ad senatum Ecclesiasticum supremum detulerunt. Mandauit deinde Princeps Augustissimus beato Loeschero, vt primum *Rudigerum* verbis castigaret, tum, vt in sequenti libro retractaret priora, suis verbis, praeciperet. *) Tandem *Rudigerus* ob

 libros,

libros, parum caute scriptos, et vitam dissolutam Dresdae in custodiam datus est, et paullo post ibi exspirauit. De laboribus *Rudigeri* indicia in vtramque partem attulit, *der Unpartheyische Bibliothecar* P. VIII. p. 718. Sinistre et acerte hominem tangit Casp. Bonifacius in epist. *de vita et scriptis Adolph. Clarmundi* T. I. *Bibl. Hulens.* p. 563.

*) Exemplum mandati regii affertur in *der gelehrten Fama*, P. II. p. 681. mentionem etiam huius rei facit beat. Gleichius *in vit. Carpzou.* in P. II. *Annal. Eccles.* p. 546. Age, ipsa adscribamus verba. *Was der unter dem Nahmen Adolphi Clarmundi verborgne M. Rudiger im VI. Theil seiner so genannten vitarum clarorum virorum p. 137. edit. Witteb. 1708. 8. hat von seinem Leben, und sonderlich seinem Abschied aus diesem Jammerthal ohne Verstand und Bedacht hingeschrieben, befindet sich in der Warheit nicht also, maassen ich ja so viel Jahre neben ihm im Amte gestanden, ihn in seiner Kranckheit taeglich besuchet, und auch noch bey seinem Ende zugegen gewesen, da er unter meinem und der Vmstehenden Gebeth und ertheilten Seegen verschieden. Daher auch, weil man sich darüber beschwehret, gedachter M. Rudiger zur Rede gesetzt, und dem Superintendenten und Rath allhier vom hochlöbl. Ober-Consistorio befohlen worden, dem Menschen darüber nachdrückliche Vorhaltung zu thun, und sein Vnternehmen gebührend zu strafen.*

LXXVIII.

LXXVIII.

NICODEMVS FRISCHLINVS, vir acutissimi ingenii, tot tantaque aduersa fata expertus est, vt pauci sint, quibuscum conferri possit. Hic annos XXI. natus, in Professorum numerum adscitus, Tubingae ad poetas, aliosque veteres scriptores explicandos se contulit, multum quoque studii in Philosophiae et Matheseos scientia posuit, nemo vt esset, quin viri diligentiam ingeniumque admiraretur. Sed cum oratione quadam *de laudibus vitae rusticae* edita equites grauiter offendisset, maximasque sibi molestias creasset, inde abiit, et Laubachum in Carniola sitam discedit: mox, caritate patriae reductus, Tubingae, vbi antea docuerat, reiicitur, tandem Brunsuigiam abit, scholaeque gubernandae prouinciam suscipit. Neque vero hic diu manere potuit, sed, venia impetrata, in viciniam excurrit. Aliquamdiu Vitebergae substitit, et priuatim doctrinae suae copiam fecit, tum in Hassiam discessit, et Marburgum diuertit, vbi non minus ingenii amoenitatem testatus est. Marburgo, vbi emergendi locus non

 erat,

erat, Spiram, et inde Moguntiam abiit, *intentus scriptis publice edendis.* Quoniam autem sumtus, ad hoc negotium necessarios ferre non potuit, subsidia a duce Wurtenbergico petiit, ab spe frustratus *carmine, paulo acerbius scripto,* fortunam suam deplorauit. Quae res induxit aulae proceres, vt *Frischlinum* in patriam reuocarent, suamque sortem ferre docerent. Datus est igitur in custodiam, vt dedisceret licentiam, modestiam vero disceret maximum esse docti hominis ornamentum. Inde cum se fuga proripere et fune e muro demittere vellet, saxis impulsus et misere laceratus decidit, et animam efflauit vir libertatis suae immodicus atque intemperans, nec vrbane iocari solitus, cum facetias saepe in acerbitatem verteret, *) quibus et in Carniola et Sueuia ordinem equestrem vehementer offendit, et Crusio, praeceptori, indignam retulit gratiam, cuius aetati meritisque omnino parcere debeat.

*) Sic iudicat Schurzfleischius in Collegio MScto de scriptorib. sec. XVI. Ceterum de fatis Frischlini vid. Wolf. in diss. *de carc.* etc. p. 26. §. 16, Tenzel. in *colloqu, menstr.* a. 1690. p. 876. *Memoir.*

Memoir. de Litterat. T. I. p. 118. *Act. Erudit.* a. 1690. p. 109. et qui diligentissime omnia commemorat Carol. Henric. Langius in *vita Frischlini.* cf. *Act. Erudit.* vernac. sermone scripta, T. X. p. 815.

LXXIX.

Nec praetermittendus est ADRIANVS BEVERLANDVS, ICtus Batauus. Hic edidit varia eaque famosissima scripta, in his pestilentissimum *de peccato originis* librum, in quo peccatum istud a protoplastis commissum a sensu sacri codicis alieno modo turpissimoque explicauit. *) At, quamquam in Belgio scriptoribus aeque atque typographis quidlibet audendi potestas est, *Beuerlandi* tamen impietatem tam aegre tulit magistratus, vt non solum scripta eius publice per carnificem comburerentur, verum ipse etiam *Beuerlandus* in exilium mitteretur. Duriora his sine dubio expertus esset, nisi librum, quem *de prostibulis veterum* composuerat, vnus e cognatis ipsius, flammis tradidisset. Calamitates vero, quibus afficiebatur, *Beuerlandum* tandem a lasciuis scriptis reuocarunt, atque, vt Palino-

 diam

diam caneret, impulerunt, teste quidem Schelhornio T. III. *Amoen liter.* p. 169. cuius verba adscribere non pigebit. *Carcer, mulctae irrogatio, variae aduersitates et salubres aliorum admonitiones hominem tandem ad saniorem redegere mentem, eoque perduxerunt, vt non solum quae lasciuius scripserat, summopere detestatus in cineres verteret, sed publice etiam palinodiam caneret, in lucem emissa de fornicatione cauenda admonitione.* At in hoc ipso libello non nisi spurcissimum et lasciuum scribendi genus emendare et nequiorem sensum deprecari videtur, cum tamen argumentum omne pessimum sit atque impurum. Melius sane fecisset, si, quam explicationem peccati originis scripserat, eam retractasset, melioremque et diuinis scriptis magis consentaneam dedisset. Plura de titulo eiusdem item dedicationem vel potius praefationem ad inimicos [b]) habet Tenzelius in *Colloquiis menstruis*. Iuuat adscribere iudicium de *Beuerlando*, qui tandem mente captus obiit, quod auctor Apologiae pro Iul. Caes. Vanino p. 89. his verbis tulit: Mellitum os, quem Aphrodisaeum et Veneris

ris pupillam dixeris. Is, si tam vere, quam eleganter scripsisset, vnus loco omnium foret.[c])

[a]) vid. auctores, qui eum refutarunt a B. Grapio T. II. p. 148. *syst. nouiss. Controu.* laudati Sententia Beuerlandi in compendio exhibetur et refutatur in *Antiqu. nou. anni* 1706. p. 26. sqq.

[b]) Christ. Thomasius *Ephemerides* suas etiam inimicis, Siegfr. Benzenius *defensionem Masii* Thomasio, quem inimicum putabat, Sociniani *Catechismum Racouiensem* Theologis Vitebergensibus dedicarunt. Sed Fr. Petr. Tackius in *comment. hist. et Liter. de dedicationibus librorum* p. 44. hanc consuetudinem reprehensione potius, quam imitatione, dignam iudicat.

[c]) Vberiora de Beuerlando dabunt praeter scriptores laudatos, Ioh. Gottfr. Buchner *in schediasm. de vitiorum inter erudit. occurrent. scriptoribus* Sect. II. §. 11. in not. p. 146. Gottfr. Arnoldus *in der Kirchen - und Ketzer - Historie* P. II. L. XVII. Benthemius *in dem Hollændischen Kirchen - und Schulen-Staat.* P. II. c. IV. §. 120.

LXXX.

Satis fatales, si fabula vera, extitere IOANNI MILTONO *defensiones pro populo Anglicano* contra Salmasium susceptae Nam Woodus in T. I. *Fast. Oxon.* eum ita a Deo punitum esse arbitratur, vt vix pri-

ma defensione absoluta vnum, et secunda in publicum emissa, alterum quoque oculum amitteret. Hoc quidem constat, *Miltonum* coecum fuisse, ideoque idem cum Homero, quem strenue, an etiam feliciter? imitatus est, fatum ex aliquorum sententia habuisse.

LXXXI.

FRANCISCVS HOTTOMANNVS, ICtus clarissimus, vt verbis Thuani ad a. 1590. vtamur, et totius antiquitatis scientissimus, multa ingenii sui reliquit monimenta, quibus in aeternum victurum nomen per vniuersum orbem obtinet. Eminent prae reliquis commentarius in orationes Ciceronis, in Institutiones, et Obseruationes Iuris Romani, quae plenae copiosa et accurata eruditione, atque in quibus, quod ad emendationes attinet, ipsum Cuiacium, ad quantum virum! superat. Quibus nollem Antitribonianum addidisset: verum hoc nomine iam Marano poenas dedit. Idem cum in alio libro, cui titulus: *Fulmen Brutum Sixti V.* veteres Sanctorum historias lepide exagitaret, apertum vitae discrimen adiit. Excessit

cessit igitur Gallia, sibique ipse poenam exilii imposuit, multas per regiones vagatus.*)

*) Nihil attinet plura de viro hoc docto dicere. Cf. Thuanum, l. c. Teisser in *Addit. ad Elog. Thuan.* P. II. p. 113. et *vit. Hottomanni* a Doschio Opp. eius, a. 1700. edit. praefixam.

LXXXII.

AONIVS PALEARIVS meliori fortuna dignus fuit. Elegantissimae eruditionis copia instructus, felicissima imitatione, in oratione Ciceronem, in versibus Lucretium expressit. Equidem nunquam illius scripta legi, quin valde delectarer, suauissimaque voluptate recrearer. Habuit hic magnas cum stupore et malitia monachorum contentiones. Hos offendit maximopere liber illius *de meritis mortis Christi*: hi impie illum dixisse clamauerunt: Inquisitionem sicam esse districtam in Litteratos; hi nostrum res sacras eleganti oratione describere aegre tulerunt. Magna vero crimina et horrenda! Sed quid multa? *Palearius* iussu Pii V. a. 1566. Romae viuus comburitur.*)

*) vid. Thuan. l. 39. Cren. *Animadu.* P. II. p. 18. seq. Morhof. in *Polyb*, P. I. p. 284. et Halbauerum in nou. edit. *Opp. Palear.*

LXXXIII.

Prodiit a. 1728. vernaculo sermone sequens liber: CHRISTIANI MELODII, *Ph. Th. et IC. influxus veritatum diuinarum in voluntatem et totam vitam hominis.* Verus auctor huius libri est M. ADAM BERND, sacerdos ad templum D. Petri Lipsiensis. Cur vero nomen *Melodii* sibi tribuerit, ipse in curriculo vitae commemorat, p. 176. Nempe per Anagramma ex verbo *Melodius* elicitur nomen *Odelmius*, qui notam illam dissertationem *de reliquiis sacramenti in caussis matrimonialibus* a. 1704. *de distinctione legum Mosaicarum in morales, forenses et ceremoniales, de diaconissis primitiuae ecclesiae* et alias scripsit dissertationes. quibus se tanquam germanum Thomasii discipulum ostendit. Huic igitur, scribit, ille liber vt tribueretur, cupiuisse se quidem, sed citius opinione se oppressum fuisse. Si quid *Berndius* in hoc libro tradiderit, accurate scire

cupias,

cupias, euolua S. V. Walchii *Controuers. religionum*, P. III. p. 537. vsque ad 591. vbi argumentum libri diligenter excerptum exhibetur. Inde intelliges, nihil aliud sibi proposuisse auctorem, quam vt Indifferentissimum defenderet et librum pontificiis acceptissimum ederet. Primum enim quid de eo dicamus, quod ethnicos licet Christum omnino ignorantes, tamen saluari posse scribat? Quod ad diuersas tres religiones apud Christianos attinet, nullam essentialem differentiam inter eas intercedere docet. Pontificiae religioni plures prae Lutherana et Caluiniana praerogatiuas tribuit, eiusque dogmata multo solidius et dilucidius demonstrata esse putat. Tandem toto e libro summum odium erga Lutheranos Theologos apparet, in quos passim inuehitur, et valde contemtim de viris magnis loquitur. Non aliter igitur fieri potuit, quam vt hic improbus liber omnibus bonis maxime displiceret, et a multis, vt Loeschero, Buddeo, Deylingio, Wernsdorfio, Loebero, Theologis primariis refutaretur. Ipse etiam *Berndius* poenas suae temeritatis dedit,

et

et munere exutus fuit, venditione libri prohibita.

vid. plura in *Unsch. Nachr.* 1728. p. 993. 1729. p. 496. 1731. p. 386. 1732. p. 113. et inprimis modo laudatum Walchii libro, cuius maximam partem refutatio et expositio Berndianarum nugarum occupat.

LXXXIV.

Natus fuit ADOLPHVS HELT a. 1592. Stadae, atque ibidem in collegium sacerdotum cooptatus. Dedit initio illud operam, vt ad exemplum Io. Arndii de imitatione Christi, de regeneratione, de confessione peccatorum, de poenitentia diceret; atque auditores ad veram pietatem et vitam Christiano homine dignam amplectendam inflammaret. Nescio vero, quomodo postea acciderit, vt a spiritu Ezechielis et Ioannis mysterium M. annorum, quibus pii sint regnum accepturi, sibi reuelatum esse crederet. Inde sermone vernaculo a. 1649. *Apocalypsin prophetae Ezechielis* edidit, in quo libro principia Chiliastarum tradidit. Scripsit etiam *nouum Catechismum*, quem caluinismi semina atque doctrinam fouere et com-

complecti dixerunt. Inde munere suo abire iussus Altonae diem obiit. Est denique alius Heltii liber *de Chronologia Apostolica*, a. 1646. editus. a)

a) vid. ipse Heltus h. l. p. 532. 633. et Arnold. P. III. 123.

LXXXV.

Nondum lugere desiere Musae praematuram mortem CHRISTIANI WOLFFII, viri ad ornandum seculum ornandamque patriam nati, probe perspicientes detrimentum, quod tristi hoc casu litterae ceperunt. Sed quid attinet plura de laudibus viri dicere, cuius solum nomen elogium est? aut quid opus est copiosius de vita illius differere, quam viri clarissimi, *Carol. Guntherus Ludouici*, *Gottschedius* et *Baumeisterus* a). diligenter et accurate exposuerunt? Nos illud tantum paucis attingemus, quod ad instituti nostri rationem pertinet. Vehementer vir doctus Theologorum quorundam Hallensium animos oratione *de Philosophia Sinarum* commouerat, et cum alios, tum *Ioach. Langium* in primis sibi infestum

LXXXV. I reddi-

reddiderat. Neque prius tamen concepta atque inclusa pectore iracundiae vis erupit, quam noster *cogitationes rationales de deo, anima et mundo*, prima vice Halae a. 1719. et deinde cum additamentis a. 1722. excusas, edidit. Nam, vt de pluribus scriptis contra *Wolffium* diuulgatis nihil dicamus,[b]) variis artibus, accusationibus, calumniis eo res tandem perducta est, vt die VII. Ian. a. 1723. noster a potentissimo Borussorum Rege intra XLVIII. horarum spatium, laquei poena proposita, Hala discedere iuberetur. Quo facto se Marburgum contulit, vnde tandem magnis honoribus Halam reductus est.

[a]) Cum in peculiari libello, tum in Elogio Wolff. *Act. Erud. Lips.* a. 1759. inserto, cf. *Histoire d'un Voyag. liter.* p. 8. *Unschuld. Nachricht.* 1728. p. 897. inprimis euoluatur Cl. Gottschedii Elogium Wolffii, in quo adiunctis variis epistolis omnia copiosissime narrantur.

[b]) De controuersiis Wolffianis vid. praeter Cl. Ludouici, *Unschb. Nachr.* a. 1725. p. 402. 983. et 988. *Acta Erud. Germ.* T. XI. p. 517. *Acta Erud. Lips.* a. 1726. p. 451. Io. Alb. Fabricii *delectus argumentor. et syllabus scriptorum pro veritate rel. Christ.* a. 1725. p. 2. *Antiquo-Noua Theolog.* a. 1724. p. 130. seq. et complures alii.

LXXXVI.

LXXXVI.

Etsi CAESARIS BARONII *Annales Ecclesiastici*, non exigua illi quidem industria conscripti et multis variae doctrinae copiis referti, sed animum parum a partium studio liberum atque monarchiae pontificiae stabiliendae nimis intentum non obscure prodentes, atque etiam multis historicis et chronologicis erroribus deformati, [a]) etsi igitur illi magnam auctori suo laudem atque multos honores comparauerunt, *tomus XI.* tamen contrarium plane fatum expertus est. Nam *Baronius* longam in hoc tomo disputationem *de Monarchia Siciliae* proposuit, eamque non regi Hispaniae sed pontifici Romano vindicare studuit. Quo facto rex Philippus III. adeo exacerbatus fuit, vt a. 1610. edicto caueret, ne quis suorum vel emeret vel legeret hunc tomum, magnis minis adiunctis. [b]) Proscriptus igitur quasi fuit hic tomus, atque etiam duo bibliopolae, parum regio edicto obtemperantes, in seruilem remigum ordinem detrusi sunt. Fortasse tamen *Baronius* hoc non valde ad animum reuocauit: certe non

graue damnum hoc edicto accepit. Verum grauiora subsecuta sunt. Sperabat enim *Baronius*, fore, vt post mortem Clementis VIII. pontificia dignitate ornaretur. Quoniam autem Clemente extincto atque noua electione instituta legatus Hispanicus nomine regis, *Baronium* hac electione exclusit, spes ea irrita fuit. [c])

[a]) Laudantur passim hi Annales, passim vituperantur: nos medium tenemus: vid. Casaub. *Prolegom. ad Exercit. Baron. Act. Erud.* a. 1697. p. 306. sequ. Schurzfleisch. *Epist.* p. 732. seq. Sagittar. *in Introd. in Hist. Eccles.* c. 14. §. 9. Frid. Spanhem. *Dub. Euang.* P. II. p. 47. et alios passim.

[b]) vid. apud Goldastum, *de Roman Monarch.* T. III.

[c]) vid. Hornbekius in *Sacr. Miscellan.* l. 1. c. 1. et Gramond. *Histor. Gallic.* l. 1.

LXXXVII.

Elegantissimam scripsit IVSTVS LIPSIVS Satyram contra ambitionem et imperitiam quorundam, qui se Criticos dicunt. „*Hoc scripto*, scribit Scaliger ad Scipionem Gentilem, [a]) *non puto abhinc mille quingentis annis festiuius aliud prodiisse. Dignus profecto foetus patre suo, qui vix*

maior

maior XXV. annorum aequauit vel potius superauit gloriam superiorum omnium ingeniorum.„ Sed fuerunt multi, qui se lepidissimo hoc libello perstringi atque irrideri putarent, ideoque Lipsio molestias afferre studerent. Valde horum conatibus fauere videbantur verba paullo imprudentius a Lipsio posita: *Qui isti cum lauru? inquam ego. Illine? ait Duza, poetae sunt nupero foetu. Cur autem coronati? inquio. an vicerunt agonem Capitolinum? Non, ait, sed hodie ita mos valet, ut non Phoebus sed Imperator faciat vates, corona et anulo donet, inter equites scribat, imo inter comites. Hem! inquam, scilicet ad Caesaris in Laberio exemplum.* Etsi vero haec verba probe defendi possunt, atque etiam a Lipsio b) bene defensa sunt, qui se nihil aliud exprimere voluisse testatur, quam quod est in prouerbio: *Multos Thyrsigeros, paucos est cernere Bacchos*, non caruerunt tamen omni inuidia. Imperatorem enim aduersarii concitare conati illum maiestatis postulauerunt, atque ius Imperatoris in laurea poetarum minui dixerunt. Inde accidit, vt prope fatalis fuisset hic liber Li-

psio, nisi turbellae hae sopitae fuissent atque extinctae.

*) *Epist. Gudian.* p. 356.

b) vid praeter alia loca *epist. Lipsii ad Monavium,* in Cent. II. ep. 98. et Cent. II. ep. 83. cf. *Reim. Introd.* P. V. p. 87. Schelhorn. *Amoenit. Lit.* T. V. p. 48. Heum. *Act. Philos.* P. IV. p. 747. Aubert. Miraeus in *Elog. Belg.* p. 137. Pope-Blount p. 840. Zeumer in *Vit. Philos. Ienens.* 24. Tenzels *Unterr.* 1696. p. 471. etc.

LXXXVIII.

Magno animorum ardore magnaque vehementia certatum est inter IO. GVIL. PETERSENIVM Chiliastam illum notissimum et illius aduersarios, quorum ingens fuit numerus. Nos nunc non plura de re dicemus, quae non ad instituti nostri rationem pertinet. Neque multa dicemus de vita illius, quam ipse descripsit.[a]) Paucis attingemus molestias, quas sibi scriptis suis creauit. Ornatus igitur fuit *Peterseniius*, post varia munera quae in variis locis gesserat, munere Superintendentis Luneburgensis. Variis in scriptis tradidit et defendit sententiam illam de millenario Christi in terris regno, quae multorum animos valde commouit.

mouit. Excitauit potissimum odium plurimorum libro: Ἀποκατάστασις πάντων, *die Wiederbringung aller Dinge, in Pamphilia*, A. 1700. in quo hoc agit, vt ostendat, malum et peccatum, tanquam non radicem habentia sed in tempore nata, aliquando omni ex parte sublatum, et creaturas Dei atque ex eiusdem voluntate viuentes post certum in diuina oeconomia definitum spatium a peccato, omni sceleris contagione et poena huius a restitutore omnium rerum Iesu Christo liberatum iri. Quid multa? Munere *Peterſenius* remotus fuit, et inde priuatam vitam delegit. [b]) Obiit d. 31. Ian. a. 1727.

[a]) Vitam suam edidit a. 1717. quae in *biblioth. Teutonica* atque etiam in *Noua* T. VII. p. 731. recensetur.

[b]) Varia sunt variorum de eo iudicia: appellatur a Fechtio in *Philocal. nouae prophetissae* (scil. Asseburgicae) *aduocatus, recentissimorum deliriorum primus et princeps architectus*: a Niehenkio *in Comp. error. Piet. communis Chiliastarum aduocatus, qui stipendio quasi conductus eorum causam suscepit defendendam*: a Schelgwigio in *Synopſ. Supplem.* p. 236. *Papias nostri temporis*. Plura vid. apud Spener. in *Consil. Theol.* P. I. p. 8. Feustk. *Gynec. haeret. fanat.* p. 458. et 482. Thomas. *freym. Gedank.* p. 835. 54-58.

Unschuld. Nachr. 1711. p. 432. 1713. p. 1087. 1702. p. 124. 1708. p. 355. et passim. *Act. Erud.* a. 1732. p. 379. v. Seelen *Miscell.* P. I. p. 44.

LXXXIX.

Non vltimum, sed primum locum merebantur *Considerationes morales in Nouum Testamentum*, iam anno 1671. Lutetiae Parisiorum a PASCHASIO QVESNELLIO, presbytero congregationis oratorii, editae, et cum archiepiscopi Parisiensis [a]) aliorumque episcoporum [b]) censura et approbatione saepius recusae, qui liber, Iesuitarum odio, ab anno 1710. tantas apud Pontificios peperit dissensiones, vt non solum omnis Gallia, sed vniuersa propemodum ecclesia, dissociari videretur. Librum Clemens XI. pontifex romanus, d. VI. Sept. anno 1713. Constitutione papali damnauit. Ipse QVESNELLIVS abiit 1703. Bruxellas, vbi, instinctu Iesuitarum, in carcerem coniiciebatur. Liberatus deinceps, opera Iansenistarum, quorum partes susceperat, concessit Amstelodamum, ibique anno 1719. aetatis 86. decessit, accersito prius Notario apostolico et testibus, quibus declarauit solenniter,

ter, se in communione ecclesiae decedere, vt vt ea, quae a Curia Romana reiecta sint, etiam nunc profiteatur. [c])

[a]) Archiepiscopi Parisiensis Appellatio contra Constitutionem Pontificiis R. prodiit Halae cum versione Gallica et Notis *D. Heineccii*, an. 1718. recusa.

[b]) Etiam *Du Piu* eas approbauerat, sed anno 1714. die V. Martii in Sorbonnae conuentu propria manu scriptam reuocationem actis inferebat dicens: Quoniam liber ille nuper damnatus est a summo pontifice, ab episcopis Gallicanis et eminentiss. Cardinale de Noailles, qui et ipse approbationem a se huic libro datam retractauit, etiam a me datam reuoco. *Vid. Memoire sur l'affaire de la Sorbonne, pour les Sieurs Charton, Senieur de Sorbonne, et consors, Parisiis 1716.* p. 16. Prouocationes et Declarationes aduersus Constitutionem integra Collegia politica, ecclesiastica et monastica deinceps publicarunt, quales anno 1719. tribus Tomis in 8. coniunctim editae sunt sub titulo: *le Cris de la foi*, i. e. Clamor fidei, siue Collectio diuersorum testimoniorum a compluribus Facultatibus, Capitulis, Curiis et Societatibus Ecclesiasticis et Regularibus de Constitutione Vnigenitus redditorum. Conf. Acta publica Constitutionis Vnigenitus a D. Pfaffio, Tubingae edita, anno 1721. Leg. etiam eiusd. Histor. litter. P. I. p. 123.

[c]) Conf. *Act. Erudit.* 1705. p. 421. et 426. *der beschäfftigte Secretarius*, Tom. IV. p. 527. *Engelschallii* Praeiudicia fidei P. II. p. 89. *N. Zei-*

tungen L. 1719. p. 785. sqq. Doctrinam *Quesn.* examinarunt in variis Dissertat. D. *Chladenius*, *Schroerus*, *Ienichen*, aliique. Quod etiam *Quesnellio Editio Oper. Leonis M.* fatalis fuerit; vid. in *Fabric.* Bibliotheca Graeca, Vol. VI. p. 385. et in *Io. Andr. Grammlichii* Praefat. Edit. Germanicae N. T. Quesnellii, §. 8.

XC.

Misere periit HIERON. SAVONAROLA, Ferrariensis et ordinis praedicatorum socius. Scripsit *Commentatiunculam de Mahumetanorum secta; triumphum Crucis, siue de fidei Christianae veritate Libros IV. de Simplicitate vitae Christianae Libr. V.* et alia, quae recenset Wharton in Appendice ad Cauii H. L. p. 110. In his libris maior pietas magisque animus a partium studiis liber, nec vlli rei adeo, quam verae Christi doctrinae promouendae, intentus eluxit, quam illius socii aequo animo ferre potuerunt. Tantam etiam consecutus est sanctitatis opinionem, vt Florentini ciues eum tanquam de coelo delapsum suspicerent, eum cum deo loqui crederent, ab eo se futurorum euentuum rationem audire posse putarent, nec nisi ex eius voluntate rempublicam admini-

ministrari vellent. Atque haec fuit altera causa, cur se primariis ciuitatis viris inuisum reddiderit. Accessit mox tertia. Nam illum et in libris et in sermone vitia Pontificis, Cardinalium et Clericorum detexisse et carpsisse clamabant. Inde condemnatus, laqueo suffocatus et igne crematus fuit a. 1498. natus annos 48. Cineres in profluentem fluuium Arnum proiecti fuerunt. Defensionem occisi susceperunt Picus Mirandulanus et Marcilius Ficinus. [a])

[a]) vid. Arnold. T. I. l. 15. c. 5. Pope-Blount. p. 490. *Journ. Sav.* T. 4. a. 1676. Tenzel. *Unterred.* a. 1696. p. 510. et 536. *Unschuld. Nachr.* a. 1722. p. 535. *Act. Erudit.* 1699. p. 891. Schelh. *Amoenit.* lit. T. X. p. 1161. *Act. Erudit.* a. 1687. p. 439. Dieteric. *Lection. quotid.* p. 389.

XCI.

IVLIVS CONRADVS OTTO, vt verbis Wagenseilii in sota, p. 704. vtamur, pseudoiudaeus, pseudorabbinus, et pseudochristianus, atque sic verus fur, trifur, trifurcifer, natus fuit Iudaeus. Verum christianam religionem amplexus atque baptismo initiatus Hebraicae linguae professionem in

Academia Altorfina accepit. Neque tamen perfidiam et malitiam suae gentis exuit, sed quam ore professus erat, animo detestatus est doctrinam. Hoc certe consilio ab eo editus est liber: *Gali Razia, seu Occultorum detectio, h. e. monstratio dogmatum, quae omnes Rabbini recte sentientes ante et post Christi natiuitatem de vnitate essentiae diuinae, Trinitate personarum ac Messia posteritati reliquerunt.* Noribergae, 1605. et Stetini, 1613. Hoc libro homo impius improbe mentitur, maximas ineptias profert, nihilque aliud agit, quam vt ridiculam reddat sanctissimam nostram religionem eamque in contemtum apud Iudaeos adducat. Verum idem liber suo auctori fatalis fuit. Nouerat homo, quantas fraudes in hoc libro commisisset, quae mendacia sparsisset atque valde verebatur, ne et alii hanc fraudem indagarent, et ipse suae improbitatis poenas daret. Post tres annos igitur vltro munere suo discessit atque clam abiit. Quo se contulerit aut quae fata posthac expertus sit, non constat. cf. Placc. *de Anonym.* p. 687. et Mayer. in *Biblioth. bibl.* p. 23.

XCII.

XCII.

SEBAST. CASTELLIO, aut vt ipse nominari maluit CASTALIO, Basileensis Graecae linguae professor, sacram scripturam in Gallicum et Latinum sermonem transtulit. Latinam versionem laudari ab his et ab illis culpari nemo facile ignorabit. Immo fuerunt, qui se in notis illius impia quaedam inuenisse putarent, illiusque versionem, tanquam magis ethnicum quam Christianum auctorem redolentem reiicerent. Hinc a Beza praesertim lacessitus Geneuensibus se valde inuisum reddidit. Accesit et auxit odium mutatio sententiae de praedestinatione adeo, vt inops et egenus lignando [a]) vir doctus sibi victum quaereret. Maximam paupertatem, in quam aduersariorum machinationibus incidit, saepius Io. Oporinus subleuauit. [b])

[a]) v. Grot. Ep. XI.

[b]) De versione et Castalione v. Hotting. *Biblioth.* p. 167. R. Simon. *Hist. Cr. V. T.* l. 2. c. 21. l. 3. c. 15. Le Long. P. I. p. 696. Vockerod. *Consult.* p. 148. et 152. Stollii *Biblioth.* P. I. p. 90. *Act. Erudit.* 1691. p. 32. *Journ. Liter.* T. 7. p. 385. *Unsch. Nachr.* 1729. p. 810. 1719. p. 832.

XCIII.

XCIII.

Paucis exponenda est nobis historiola controversiarum IO. REVCHLINI, alias CAPNIONIS, de libellis aliquot exortarum. Erat Io. Pfefferkorn quidam, natione Iudaeus sed Christiana sacra amplexus, qui maximo odio in Iudaicos libros ferebatur. Inde Iacobo Hochstrato et Arnoldo Tungro sociis adiunctis rem eo perducit, vt Imperator Maximilianus I. ediceret, vt omnes Iudaici libri, praeter sacram scripturam, comburerentur. Iudaei hac sententia territi omnem operam dederunt, vt mitigeretur et leniretur hoc edictum. Res tandem eo peruenit, vt Imperator ad Archiepiscopum Moguntinum scriberet, de toto hoc negotio accurate deliberandum et cum aliis viris doctis *Reuchlinum* in consilium adhibendum esse. Quid *Reuchlinus?* hic per litteras suasit, eos tantummodo libros delendos esse, in quibus conuicia in Iesum Christum et Christianam religionem spargerentur. Variis artibus hae litterae in manus Pfefferkornii venerunt, qui vernaculo sermone libellum, conuiciis plenissi-

mum

mum sub titulo: *Speculum Manuale* edit. *Reuchlinus* primum causam ad Imperatorem defert, sed longioris morae impatiens et famam defendere cupiens alium librum scribit, cui titulus: *Speculum Oculare.* Hoc libello magna dissensionis flamma accenditur, et Colonienses Theologi, qui a partibus Pfefferkornii stant, vehementer exacerbantur. Tungrus quae sibi improba et falsa videntur excerpit, latino sermone proponit et sententiam de isto libro pronunciat. *Reuchlinus* quidem se defendere studet atque responsionem edit; sed parum efficit. Publice apud Archiepiscopum Moguntinum nomine Coloniensium ab Hochstrato accusatur. *Reuchlinus* hoc foro non contentus ad Leonem X. prouocat, qui, vt erat egregia eruditione praeditus, totam rem Georgio Palatino, Episcopo Spirensi, aliisque doctis viris inquirendam et diiudicandam tradit. Quid multa? re diligenter considerata *Reuchlinus* victor ex hoc certamine discedit. Sed prius quam haec sententia promulgatur, variis modis *Reuchlinus* ab aduersariis traducitur et laeditur. Ipse Satyris et ridiculis

pictu-

picturis perstringitur, atque libellus iste contra Pfefferkornium a Coloniensibus consensu Academiae Parisiensis, Moguntinae, Erfordiensis et Louaniensis condemnatur et comburitur. Haec sunt, quae ex instituti nostri ratione nobis commemoranda fuerunt.[a])

[a]) vid. *Unsch. Nachr.* 1714. p. 399. *Acta Erud.* 1688. p. 14. vbi vita e *Maii oratione* recensetur, et a. 1736. p. 134. Reiman. *Introd.* P. III. p. 302. inprimis Struu. *Act. Litter.* Fasc. II. p. 97. Adamus in *vit. Philos.* 37. Schurzfl. disp. *de merit. German. in Gr. liter.* §. 14. Olear. *bibl. scriptor.* eccles. P. II. p. 125. et alii.

XCIV.

Celeberrimum est nomen ERDMANNI NEVMEISTERI, cum ob alia de re Christiana merita, tum ob controuersias de vnione Lutheranis cum Reformatis ineunda agitatas. Nam praeter *Refutationem libri Io. Christ. Clemmii* : *Die nöthige Glaubens-Einigkeit der protestirenden Kirche*, quam primum *Spirituali Abeli* adiunxit, et deinde a. 1722. separatim edidit, scripsit alium a. 1721. librum sermone vernaculo, cui hic titulus:

Breuis

Breuis demonſtratio, praeſens negotium vnionis cum ſic dictis Reformatis ſiue Caluiniſtis, omnibus decem praeceptis, omnibus articulis fidei Apoſtolicae, omnibus petitionibus orationis dominicae, etc. atque ideo toti Catechiſmo contrarium eſſe. κ. τ. λ. Nam quod ad primum praeceptum attineat, non ad honorem Dei promouendum ſed ad principum potentiam adeo augendam vt Pontificiis reſiſtere poſſint, haec conſilia ſpectare: quod ad ſecundum, quoniam haec vnio non niſi ſine multis periuriis perfici poſſit, plurimos enim Theologos Lutheranos in Auguſtanam Confeſſionem eius Apologiam et reliqua ſcripta eccleſiae Symbolica iuraſſe, atque hos libros ſine periurio amitti non poſſe: quod ad tertium, tolli elenchum publicum atque etiam tali modo cultum publicum vitiari. Hac ratione auctor etiam in aliis praeceptis verſatur, maximaque dicendi libertate vtitur. Quare etiam hic liber non in Germania tantum, ſed in tota prope Europa magnas turbas excitavit. Datae ſunt a Rege Boruſſiae d. 20. Dec. a. 1721. et ab Ordinibus foederati Belgii d. 3.

Ian.

Ian. a. 1722. litterae ad Senatum Hamburgensem, in quibus hoc scriptum tanquam legibus imperii fundamentalibus aduersum et contra Reformatos iniuriosum accusatur. Rex Borussiae duo inprimis postulat, vt auctor merito puniatur, et Reformati Hamburgi libero exercitio religionis fruantur, grauibus minis adiunctis. Hisce litteris magnus ciuibus timor incutitur, adeo vt plebs *Neumeisterum* abire quam remanere malit. Verum totum Ministerium partes *Neumeisteri* suscipit, illius innocentiam defendit, etsi *Neumeisterus* munere exuatur, se quoque omnes munere abituros esse fatentur. Neque tamen multum absfuit, quin ei concionanti libertas interdiceretur. Tandem res eo peruenit, vt a Senatu liber, etsi dispersus iam omnibus in locis, et vbique disseminatus, Regis placandi causa supprimeretur. Missae etiam sunt a Senatu litterae ad Regem, in quibus humanissimis verbis iram illius lenire studuerunt. In libero religionis exercitio Reformatis concedendo se illi minime gratificari posse fessi sunt: habuisse illos adhuc Altonae libertatem religionem suam exercendi: quemuis Theologum

logum et senatorem antequam munus ineat, iuramento adstringi, ne cui Reformato hanc in vrbe libertatem concedat: neque se tamen impedire velle, quominus legati in aedibus priuatis sacra sua exercerent. Hoc modo istae turbae sensim sopitae et exstinctae fuerunt. Obiit tandem iubilaeo Ministeriali celebrato, a. 1756. d. 18. August. aet. 85. vid. *Unsch. Nachr.* 1721. p. 935. 1722. p. 293. 799.

XCV.

SEBASTIANVS EDZARDT patre natus fuit *Esdra*, magno Theologo, qui a scribendis libris abhorrens magis hoc operam dedit, vt studiosis, doctrinae cupidis, sacram scripturam exponeret, multisque a nostris sacris alienis, vt Iudaeis, Socinianis, Memnonitis, Pontificiis, Turcis, nostrae religionis doctrinam tradidit. Noster vero *Sebastianus*, cuius in me insignem beneuolentiam, qua meam inopiam in Academia Vitembergensi subleuauit, gratus commemoro et praedico, duobus libris sibi molestias creauit. Notum est, initio huius seculi, praeter ceteros, Fridericum I. regem Borussiae, Re-

 formatos

formatos cum Lutheranis coniungere ſtuduiſſe, maxime poſt editum a. 1703. a Io. Winckleroo, Diacono et poſtea Inſpectore Magdeburgenſi, *Arcanum Regium de conciliandis religionibus ſubditorum diſſidentibus*. Hoc in negotio Strimeſius inprimis concordiam illam commendare ſtuduit, editis variis libris, a. 1704. vt: *Kurtzer Entwurff der Einigkeit der Evangeliſch-Lutheriſchen und Reformirten im Grunde des Glaubens: von dieſer Vereinigung eigentlicher Natur und Beſchaffenheit* etc. Scripta haec Strimeſiana refutarunt Wernsdorffius in libro: *Kurtzes und wohlgegründetes Bedencken über D. Strimeſii kurtzen Entwurff* etc. et *Edzardi* noſter in Schediasmate *de cauſis et natura vnionis*, et in appendice *ad Caluinianorum Pelagianiſmum*, Vitembergae a. 1705. edit. Hoc in libello auctor oſtendit, Caluinianos, qui toties Lutheranis Pelagianiſmum crimini dent, ipſos Pelagianos eſſe. Verum hoc ſcriptum Regi Boruſſiae adeo diſplicuit, vt Berolini combureretur atque Rex edicto caueret, ne quis ſuorum ciuium *Edzardio* reſpondeat, atque illum refutet. Prodiit deinde a. 1729. nulla

loci

loci et typographi mentione addita, liber hoc titulo insignitus: *Verzeichniss allerhand pietistischer Intriguen und Unordnungen in Litthauen, vielen Städten Teutschlandes, Hungarn und America durch* Io. Ieuerum, Wiburgensem. In hoc libro auctor de variis Theologis agit, et turbas a Pietistis multis in locis excitatus commemorat. Verus libri auctor fuit idem laudatus *Edzardtus*, qui sibi eo multas inimicitias contraxit. Ipse liber d. XII. Sept. publice combustus fuit. vid. Walch. *Introd. in Controu. relig.* P. V. p. 452.

XCVI.

De CHRISTIANI THOMASII b. Iacobi Thomasii, probi parentis filii notissimi atque doctissimi ingenio, doctrina et scriptis non multa dicentes nos nemo vituperabit. Sunt enim omnia in medio posita, tantaque in luce collocata, vt clariorem expositionem minime desiderent. Nos igitur ea tantum, quae huc pertinent, attingemus. Nondum composita lite, quae *Thomasio* cum Theologis Lipsiensibus erat, d. 13. Mart. 1690. a Theologis Vitebergensibus, interprete De-

cano,

cano, b. D. Caspare Loeschero apud Electorem ob librum, quem *de libertate matrimonii inter Lutheranos et Caluinianos contrahendi* ediderat, accusatur. Capita accusationis fere haec erant: *Thomasium* Lutheranos et Caluinianos vnire conari nulla ordinis et legum ratione habita: eundem conuiciis proscindere scriptos a Theologis contra Syncretismum libros: eundem in praestantissimos nostrae Ecclesiae Theologos omne acerbitatis virus euomere. Eodem tempore, Theologus vigilantissimus, D. Samuel Bened. Carpzouius, Superintendens Dresdensis, in iudicio, quod iussu Electoris de Pietismo habebat, huic principi suasit, vt *Thomasius* tanquam corruptor iuuentutis poenis afficiatur, quas impudentia sua meritus sit. Scabini denique Lipsienses *Thomasio* carcerem et processum inquisitionalem dictitant. *Thomasius* igitur his angustiis pressus, Lipsia abiit et Halam petiit, impetrata ab Electore Brandenburgico venia.

vid. *Neuer Büchersf.* T. IV. p. 178. *Unschuld. Nachr.* a. 1713. p. 96. et 308. 1702. p. 120. Tenz. *Unterr.* ao. 1689. p. 193. *Acta Erud.* 1729. p. 570. et alibi passim.

XCVII.

XCVII.

FRANCISCO DAVIDIS non exiguam linguarum, bonarum artium et Philosophiae cognitionem tribuunt passim scriptores. Omnis tamen haec scientia nihil ipsi ad deuitandas molestias, quas leuitate et inconstantia animi sibi creauit, profuit. Natione fuit Hungarus, euangelicae primum doctrinae addictus, mox Caluinismo deditus, denique in castra Semiiudaizantium fugiens. Edidit scriptum *de Christo non inuocando*, de quo si plura scire cupias, euolue Vol. II. bibliothecae Fratrum Polonorum, vbi inuenies capita VI. fragmenti responsionis, quam F. Socinus contra hunc librum parauit, et praeter alia Theses, quibus *Dauidis* huius sententia de munere Christi explicatur, vna cum Antithesibus ecclesiae a Socino scriptis. Non tulit audaciam hominis Christophorus Batoreus, Transyluaniae princeps, sed eum vt impium nouatorem condemnauit et Deuae in vincula coniecit. In hoc carcere a. 1579. e mundo decessit. Exstat eiusdem epistola ad ecclesias Polonicas de regno millenario Christi in his terris. vid. plura ap.

Cyprian. *in pent. differt. Acad.* p. 97. et Arnold. in *H. E.* P. II. p. 410.

XCVIII.

Nota sunt *Biblia regia*, quae cura BENEDICTI ARIAE MONTANI Antwerpiae prodierunt, et de quibus Michael Neander[a]) vere iudicat: *Bened. Arias Montanus, Hispalensis, vir doctrina varia ac linguarum stupenda cognitione admirabilis, cuius studio, opera et labore indefesso prodierunt annis superioribus biblia polyglotta in papyro regali Antwerpiae excusa in Tomos IX. distincta, et initio centum thaleris vendita.* Prodiit quidem hoc opus iussu regis Hispaniae, Philippi II. sed magna cum *Ariae* inuidia. Aemulorum enim et inuidorum manus multa machinata fuit, quibus *Ariam* illiusque negotium calumniis onerarent atque totam rem tanquam improbam et mala fide susceptam pontifici proponerent. Incurrit igitur noster in odium pontificis, ad quod restinguendum Romam profectus est, atque pro sua innocentia dixit. Tandem multa opera consumta veniam a pontifice accepit.[b])

[a]) in

a) in *descript. orb. terrar.* 84.

b) vid. plur. ap. Huet. *de clar. Interpr.* p. 149. Simon. in *H. Cr. V. T.* p. 370. Lipſ. *epiſt. ad Hiſp.* 60. Feller. *monum. ined.* p. 487. Maii *diſſert.* T. I. p. 1039. v. Seelen *Select. Liter.* p. 34. Cren. *Anim. Phil.* P. XI. p. 96. Thuan. ad a. 1598. etc.

XCIX.

Agmen fere claudat popularis noſter, D. IO. ADOLPHVS FROHNIVS, de cuius vita ideo copioſius exponemus, quoniam, neminem vitam illius, peculiari libello, deſcripſiſſe, nouimus. Natus eſt a. 1652. Eigenroedae, patre Io. Bernhardo, tum ſacerdote Eigenroedenſi et deinde Superintendente Muhlhuſano. Fundamenta ſuae doctrinae poſuit in Gymnaſio Muhlhuſano, et magiſtros habuit Bernh. Knorrium, Chriſtoph. Goetzium, Chriſtoph. Scribonium, et Hermanum Mehlbachum, viros in inſtituenda iuuentute indefeſſos. Hinc abiit a. 1669. Ienam, vbi Muſaeum, Bechmannum, Poſnerum, et alios audiuit, et a. 1670. Erfordiam petiit, vbi operam dedit Neubauero, Stengero, Starckloffio, et monachis Auguſtinis, Auguſto Gibboni de Burgo et Laurentio de

Hara in Philoſophia. A. 1672. domum quidem rediit, ſed anno ſequenti iterum Ienam adiit, vbi magiſter Philoſophiae creatus *de cauſa exemplari* diſputauit, ſcholas Philoſophicas aperuit, et a. 1676. Philoſophicae Facultatis Adiunctus renunciatus, ſaepius ſuae doctrinae et induſtriae ſpecimina edidit. Habuit enim Ienae 85. diſputationes, vnde illius in diſſerendo facultas intelligi poteſt. Accidit paullo poſt, vt Rector Gymnaſii Lemgouienſis eligeretur, quod munus ſumma fide geſſit. Eadem in vrbe a. 1680. ſacerdos ad templum S. Nicolai conſtitutus eſt, vnde a. 1684. multis cum lacrimis ciuium Muhlhuſum abiit, ibique munus Diaconi ad templum D. Blaſii accepit. Poſt obitum patris a. 1691. Superintendens, Conſiſtorii Aſſeſſor et Inſpector Scholarum eligitur. Scripſit diſputationem contra Pontificios *de fide, vt diſpoſitione meritoria ad iuſtificationem*, a. 1693. quo anno in Academia Gieſſenſi Doctor Theologiae creatus fuit. Edidit etiam vernaculo ſermone *ſolidam demonſtrationem ſacerdotii ſpiritualis omnium prudentum Deoque deditorum Chriſtianorum* a. 1703. qui liber directus eſt

contra

contra P. Edmundi Baumanni partem I. vocationis apostolicae Romano-catholicorum sacerdotum et *Theologiam Definitiuam*, a. 1707. Tandem noster a. 1713. d. 12. Nouembr. obiit natus annos 61. In laudatione funebri appellatur a Schreibero, Archidiacono Muhlhusano, *Theologiae Doctor celeberrimus, iuris diuini sacerdos optimus, sacrarum litterarum custos et vindex acerrimus, nec non bonarum artium et litterarum summum decus.* Nunc de controuersiis *Frohnii* dicamus. Distribuit ille a. 1694. Ministris Ecclesiae synodice d. 17. Iun. in sacello S. Annae congregandis d. 8. Iun. *quaestiones* quasdam, chiliasmo fauentes atque etiam a Petersenio *in Nube testium* L. 3. n. 45. p. 172. laudatas et recensitas. Hoc fuit initium suspicionis, *Frohnium* a partibus nouatorum stare atque inde exortarum turbarum. Sed iam saepius inter *Frohnium* et D. *Georg. Christ. Eilmarum*, Pastorem ad templum D. Mariae de re pietistica disputatum fuerat. Hic enim a. 1704. contra *Frohnii* librum de Spirituali Sacerdotio scripsit. A. 1705. defendit se *Frohnius* in *Iure spiritualis sacerdotis* adiunctis

Responsis Theologorum Ienensium et Helmstadiensium. Prodierunt deinde varia scripta a *Frobnio* et *Eilmaro*, in quibus alter alterum refutare studet. Praeterea *Frobnius* Franckii et Speneri laudes saepius praedicauit, neque Vitebergenses solide hosce viros refutare potuisse dixit, at *Eilmarus* cum priuatim tum palam in suggestu orthodoxiam defendit illiusque causam egit. Eodem prope tempore Godofr. Vockerodius, Gymnasii Gothani Rector celeberrimus, litteras ad *Eilmarum* mittit, in quibus scriptum erat: se audiuisse, illum pro concione docuisse, hominem sine praeuia poenitentia iustificari: se dolere hoc accidisse, atque illi Wiglebii librum de veteri fide mittere, vnde saniora discat. *Eilmarus* vehementer in Vockerodium inuehitur in suggestu, atque ideo a *Frobnio* apud senatum Muhlhusanum accusatur. Fructum, inter alia dicit, ex concionibus et doctrina *Eilmari* redundantem nullum esse alium, quam seditiosum furorem et sitim sanguinis eorum, qui priuata pietatis exercitia Muhlhusi habeant. *Eilmarus* eodem tempore copiosas litteras ad Principem Gotha-

num

num mittit, et suam caussam contra Vockerodium defendit. Haec dum aguntur, Simon Philippus Kletwigius, [a]) Licentiatus Medicinae et Senator Longosalissensis, librum quendam cum censura *Frohnii* Muhlhusi imprimendum curat, in quo doctrinam Chiliastarum proponit. Multis iam plagulis excusis atque a *Frohnio* correctis, *Eilmarus* certior huius rei factus Consistorium adit, atque vt impressio typographica inhibeatur, postulat. *Frohnius* minime cunctatus sui et *Kletwigii* defensionem suscipit, atque multis ostendere studet, editionem atque approbationem huius scripti neque aegre ferendam neque vllo modo prohibendam esse. Controuersiae hae inter *Frohnium* et *Eilmarum* non statim sopitae fuerunt. Hic enim illum multis grauibus accusationibus onerauerat: illum docere, bona opera esse ad salutem necessaria: illum negare, quenquam sanguine Christi mundari, nisi in luce iam ambulet: saepius sine praeuia confessione ad Eucharistiam accessisse, ipsum sibi, licet praesentibus aliis sacerdotibus, Eucharistiam praebuisse, pietistarum hymnos libro cantio-

nali

nali Muhlhusano inseruisse, aliaque illi obiecerat, quae nihil opus est repetere. Accidit paullo post, vt *Frohnius* ab Hamburgensibus inter Candidatos Pastoratus ad templum D. Petri referretur. Nihil hic propius abfuit, quam vt munere hoc ornaretur, nisi variis accusationibus atque illis *quaestionibus Chiliasticis*, supra a nobis commemoratis, pressus fuisset. Accusationis capita erant fere haec: *Frohnium* in concionibus saepe formulas loquendi Spenerianas proferre, in concione funebri Speneri Christianismum operosum et conciones poenitentiales commendasse atque in eadem concione dixisse, in anima occidendum prius esse peccatum, quam sitis Dei et fides in ea excitari possit. vid. Walch. *Histor. Controu. relig.* p. 815. P. I.

[a]) Hic Klettwigius a. 1698. in carmine funebri praedixerat finem mundi post sex mille annos esse venturum, et deinde quietem, felicissima tempora et Sabbathum fore. Quam sententiam, licet a multis etiam in suggestu Longosalissae impugnatam, variis aliis scriptis defendere voluit, inprimis in *Relatione de Pietismo*, a. 1700. Finis turbarum fuit hic: *Klettwigii* scripta publica auctoritate supprimuntur, atque ne posthac hic Theologicas controuersias attingat,

gat,

gat, seuere interdicitur. v. eund. libr. P. II. p. 629. seq. et *Unsch. Nachr.* a. 1713. p. 972. vbi etiam mandatum Ioannis Georgii, Ducis Saxoniae Weissenfelsensis, exhibetur.

C.

CASPAR WEISER, Professor Lundinensis in Scania, patriae suae addictissimus videbatur, cum *Musarum tripudium in Caroli XI. Regis Sueciae coronatione* diuulgaret. Sed breui post in longe aliam sententiam abiisse censebatur. Enim vero quando Danorum cohortes ao. 1676. adeoque sub regimine eiusdem Caroli Lundinum victrici manu occupant, eorum praefecto Weiserus noster obuiam ibat, carmen propemticum insinuando, cuius clausula haec erat:

Perge Triumphator reliquas submittere terras,
Sic redit ad Dominum, quod fuit ante, suum.

At enim vero fatale fuit vel hoc vnicum dystichon suo autori. Quo primum enim insequenti statim anno Sueci Lundinum suum recuperarunt, accusatus fuit poeta criminis laesae maiestatis capiteque truncatus. v. *Vergnügung müssiger Stunden no. 17.*

INDEX

INDEX AVCTORVM
ALPHABETICVS.

33. *Ed-*

79. *Schurz-*